



— 13 —

Abt. 14

17/2

2/2

3/2


4

1) Go. Dallaei Disputatio adven-
sus Milleterianam de
conciliand. religionibus
sententiam.

2) Idem de fidei ex scripturis
demonstratione.

3) Girolamo Apologetica de
formatarum in Belgio
ecclesiarum, ad, et contra
auctores libri Bengensis,
dicti, Concordiae.

4) Brandolini Oratio de vir-
tutibus Jesu Christi in
eius passione nobis open-
dit.



IOANNIS
DALLÆI

ADVERSUS
MILLETERIANAM
DE CONCILIANDIS
RELIGIONIBVS SEN-
tentiam, Disputatio.

*DIVISA IN PARTES
duas; quarum prior est de Primatu, de
Eucharistia, iustificatione, Sanctorum
invocatione, & precibus pro
mortuis. Altera de Natura,
& Gratia, & aeterna
Predestinatione.*



M. DC. XXXVII.


IOANNIS
DALLER
ADVERSUS
MILLETERRIANAM
DE CONCILIANDIS
RELIGIONIBUS
CONCILIUM DISPENSATIO

DIVINA
PARTES
UNIVERS.
ZVHALLE




M. DC. XXXVII.





PERIOCHE SINGVLORVM
CAPITVM I. PARTIS, quę est

De Primatu, Eucharistia, Iustificatione,
invocatione sanctorum, & precibus
pro mortuis.

- Cap. I.  Causa, argumentum, & parti-
tio operis. pag. 1.
- Cap. II. Duodecim Conciliatoris de Pe-
tri primatu, deque Eucha-
ristia theses, vel inanes esse,
& ad conciliationem ineptas, vel quod etiam
gravius est, dolosas, & fraudulentas. p. 5.
- Cap. III. Idem alio argumento evincitur. Tum ostenditur
Conciliatoris de primatu & Eucharistia sen-
tentiam ab Ecclesię Romanę sensu esse alie-
nam. p. 14.
- Cap. IV. Conciliatoris quę sit de primatu Petri sententia;
Cameronem immeritissime ab eo perstringi,
& committi cum nostris. p. 23.
- Cap. V. Quę sit Conciliatoris de Eucharistia sententia.
Ex ea sequi Conciliatorem, & Christianis il-
ludere, & longius quam nos ipsos ab Eccle-
się Romanę sensu discedere, ac multa deni-

- que apertissime falsa dicere p. 32.
- Cap. VI. Quaedam esse vera in Conciliatoris sententia; sed ea neque nobis ignota, neque ad conciliationem utilia esse. p. 40.
- Cap. VII. Imperfecte descriptam esse a Conciliatore nostram cum Christi carne communionem. p. 43.
- Cap. VIII. Falsum esse, & periculosissimum, quod statuit Conciliator, nos Christi corpori inseri, antequam simus Spiritus participes. p. 46.
- Cap. IX. Tertium Conciliatoris erratum, qui Ioa. 6. de passionibus Christi causa & exemplo tolerantis, nulla ratione interpretatur. p. 50.
- Cap. X. Absurdam esse quam a Conciliatore constituitur, verborum Eucharisticorum interpretationem. p. 56.
- Cap. XI. Quem ex Hieronymo Conciliator describit locum videri Origenis, neque huius eum esse sensum, quem ille putat. p. 58.
- Cap. XII. Augustini dictis neque invari Conciliatoris commentum, neque refelli nostram sententiam. p. 62.
- Cap. XIII. Refelluntur quae de Hilario, quaeque ejus occasione in nostros dicit Conciliator. p. 69.
- Cap. XIV. Vindicatur nostrorum observatio de Patrum circa rem Eucharisticam hypothese a calumnia, & reprehensione Conciliatoris. p. 73.
- Cap. XV. Quae sit Conciliatoris de sacrificio Christianorum

- sententia, quamque ab Ecclesia Romana facta
 aliena. p. 81
- Ca. XVI. Absurdam & vanam esse omnem Conciliatorum
 rationem. p. 83
- Ca. XVII. Quæ de iustificationis controversia dicit Conci-
 liator, ea non modo falsa esse, sed etiam in
 utrosque contumeliosa. p. 89
- Caput XVIII. Ludicrum esse, quod proponit Conciliator de
 Sanctorum invocatione p. 92.
- Ca. XIX. Mirifica Conciliatoris ratio in dirimenda de
 mortuorum statu, deque precibus pro iis fun-
 dendis controversia. p. 94.

I I. PARTIS quæ est DE
 NATURA, GRATIA, ET
 Prædestinatione.

- Caput. I. **H**ujus partis occasio, argumentum, par-
 titio. Conciliatoris rationes esse ab-
 surdissimas. p. 97.
- Cap. II. Dissensionem in his capitibus & frustra, & fal-
 so nostris a Conciliatore objici. p. 100.
- Cap. III. De Dei voluntate, Christique morte, si rem ipsam
 spectes, summam esse nostrorum consensio-
 nem. p. 105.
- Cap. IV. Nostrorum de Dei voluntate verba quidem esse

32.
sed
tio-
40.
strã
43.
tuit
quã
46.
de
ra-
o.
r,
-
6.
m
n-
3.
is
n-
2:
-
.
a
r
3
3



- diversa, mentem vero eandem; quod alia-
tis multorum testimoniis probatur. p. 111.
- Cap. V. Neque ultra verba dissentire nostros in altera de
Christi morte questione. p. 121.
- Cap. VI. superiorem illam dissensionem, in verbis, non
in ipsa re sitam, levissimam, nulliusque
momenti esse, & recentiorum, & veterum
Theologorum testimonio probatur. p. 138.
- Cap. VII. Nullius esse momenti de divinatorum decretorum
serie questionem. p. 141.
- Cap. VIII. Refelluntur, quæ in nostrorum sententias a
Conciliatore objecta sunt. p. 144.
- Cap. IX. Conciliatoris de natura, gratia, prædestinatione
sententia. p. 154.
- Cap. X. Falsum & Pelagianum esse, quod constituit
Conciliator, nullam esse Dei gratiam, nisi
obiectivam. p. 157.
- Cap. XI. Alter error Conciliatoris, singularem Dei gra-
tiam tollentis. p. 161.
- Cap. XII. Tertius Conciliatoris error, gratie efficaciam
ab hominum dispositione suspendentis. p. 165.
- Cap. XIII. Quartus error Conciliatoris, electionem esse ex
prævisa hominis dispositione. p. 175.
- Cap. XIV. Quintum peccatum Conciliatoris, quod ponit
fuisse, qui sine verbo Dei conversi fuerint. p. 176.

Cap. XV. VI. Conciliatoris erratum iustitia originali
Adamum spoliantis. p. 178

Cap. XVI. VII. Erratum Conciliatoris pœnas peccati in
primum fœdus admissi temporales tantum
esse statuentis. p. 179.

Ca. XVII. Totius operis conclusio ; & Conciliatoris ob-
testatio. p. 181

Fin de la Table.

Pag. Vers. Errata sic corrig. Pag. Vers. Errata sic corrig.

6	13	prærogatiua	prærogatiuæ	98	10	λογομαχαν	λογομαχίαι
	19	fundanda,	fundandæ		18	istudio	studio
8	7	populis	populus	107	6	interiao	interior
	25	conciliatois	conciliatoris		14	eos	nos
17	4	potestacm	potestatem	112	20	bujus	hujus
	5	universum	universam		24	nollens	nolens
20	16	crucē Christi	crucē Christi	114		μέλιω ἐγκείσθαι	μέλιω, ἐγκείσθαι
23	2	innuit	innuit	115	1	percuente	percutentes
	10	Christiana	Christianæ	117	10	peritneat	pertineat
26	7	testimario	testimonio	118	ult	pernicient	perniciem
	10	occurunt	occurunt	119	24	velim	velint
31	6	evincuant	evincunt	123	23	snubatam	sublatam
36	1	verifica	vivifica	125	12	favandos	salvandos
38	21	dicimi	dirimi	226	23	omnes singuli omnes & su	

39	2	negenemus	negemus?	128	19	præiveverat	præiverat
	18	illos	illo	129	3	blasphene	blaspheme
43	19	monuculent.	luculentissime	135	5	fides impii	fides; impii
44	5	sum	sunt		18	ea	eo
	20	cæteraque	cæteræque		u.t	gravitit.	gratuiti
49	2	institutione	insitione	136	12	mandat, i	madati,
8	2	commate	commate	137	21	efficarem	efficacem
	8	tribuebat	tribuebat	139	13	Remigias	Remigius
1	ult	carne sum	carnes sunt		20	responderent	responderunt
6	20	Iudæis	Iudæis	140	8	siti	sit
7	20	fecellit	fecellit		17	ergo	erga
2	17	Aranorum	Arianorum	141	25	vaxari	vexari
5	25	nescit	nescit		26	homuniciones	homüniciones
6	5	tanj	an	142	17	parte & sobrie	parce & so-
	19	geninus	geminus			ac	bricat
	23	tiori	stiori	144	4	mnique	omnique
	24	Antiochen	Antiocheni		6	vera impfius	veram ipsius
7	5	δ'ρν	δ'ρην	145	20	onium	omnium
9	4	intatente	inhærente	154	3	veritores	veriores
	16	stipenda	stupenda	160	9	cœlestam	cœlestem
	18	aiiunde	aliunde		12	arcane	arcana
8	6	sententium	sententiam		13	Deus.Ephesus	Deus Ephesiz

In Marginibus.

6	3	clar. de And.	clar. And.	105	7	specte	spectes
8	1	ham.	Cham.	112	2	§. 9	§ 6
42	1	ibid 2 34.	ibid. 34	118	14	1120.	1. 20
71	6	8	81	122	1	6. 2. 27.	6. 27.



EXAMEN
MILLETERIANÆ
DE CONCILIANDIS
RELIGIONIBVS SENTENTIÆ.

PARS PRIOR.



Alter iam annus præterit à quo V. N. Theophilus Brachetus Milleterius Epistolam emisit de instituenda orbis Christiani concordia, grandi ac pene tragico stilo conscriptam. Commovit hominum animos, tum operis titulus per se ingens, tum multo magis ipsa rei tractandæ ratio planè nova, atque inusitata. Quod enim in toto hoc componendæ religionis ne-

Caput I.

Occasio, argumentum, & partitio operis.

A

gotio longe difficillimum videtur, id novus iste Conciliator certissime se facillimeque effecturum magnificis verbis pollicebatur, ut Evangelici cum alterius partis hominibus de Episcopi Romani primatu, deque Eucharistiæ Sacramento convenirent. Ac nequa esset fraudis suspicio certas quasdam de utroque capite theses in medium afferebat, quas se suis Evangelicis ita probaturum spondebat, ut *ultra libentesque subscripturi essent, calculumque suum iis adjecturi.* Ex autem theses in univertum XII. erant; quæ si ab Evangelicis receptæ essent, cætera omnia nullo negotio transigi, pacemque inde Ecclesiæ sublata discordiæ materia reddi posse affirmabat. Sed has viri spes, atque cogitationes alii aliter exceperere; Romanæ quidem communionis plærique aut plausu, aut risu; Evangelici vero indignatione, quod unus, isque privatus de univertorum sententia spondere ausus esset, tantumque sibi sumere, ut quæ nulla hæctenus vel persecutionum, vel disputationum vis ab ipsis extorserat, id se homo neque potens, neque sane disertissimus solo

veluti nutu impetraturū speraret. Hos
sic ille placabat, ut diceret, habere se in
arcano paratam certissimæ cujusdam,
clarissimæque veritatis facem; expe-
ctandum donec eam promeret, atque
attolleret ante omnium oculos; Tan-
tamen enim fore divinæ lucis efficaciam,
vt repente purgatis eius vi animis, quæ
jam tanquam letalia venena refugiunt,
ea mox ipsi uelut saluberrima dogmata
amplexuri sint. Addebat ipsos Evange-
licorum Pastores, ubi semel affulserit
suum illud lumen, quæ iam irati infesti-
que proscindunt ea tum & privatim &
publice laudaturos. Hac ille spe amicos
totum pene biennium lactavit; neque
ullis eorum aut admonitionibus, aut
precibus adduci potuit, ut palam expli-
catum ederet quicquid istuc erat myste-
rii, quod inter suos tam magnifice ven-
ditabat. Iamque omnes longa expecta-
tione fracti de almæ illius lucis ortu des-
perare cœperant, cum repente prodire
novus Conciliatoris libellus, ejusdem
cum priore argumenti & genii. Princi-
pio enim testatur longe alias esse sui
consilii rationes, quam quas hætenus

sequuti sint cæteri religionum concilia-
tores; eoque sibi minime metuendum,
ne dispar causa iuxta infœlicem cum
aliis eventum sortiatur. Tum contro-
uersias, quæ hodie inter Christianos de
religione agitantur, pene omneis in cer-
ta quædam genera distribuit; quasi iam
exsecuturus, quanam singulæ ratione
dirimendæ sint. Verum sentiens, credo,
longe facilius esse lites istas dividere,
quam componere, aliis quidem quæstio-
num capitibus in præsentia omissis, de
Petri primatu, deque iustificatione,
mortuorumque curâ ac invocatione
paucis; pluribus de Eucharistiæ negotio
differit in priori libelli parte, quam *Con-
siliium suum* inscripsit. In altera liberrime
expatiatur in locum de natura, & gratia,
deque his annexa Dei prædestinatione.
Cæterum tam perplexa & confusa est
sensus, atque imaginum series, tam
obscuri argumentationum nexus, tam
longe petita & sententiarû & verborum
lumina, tanta denique totius orationis
perturbatio, vt vix cernas, quid velit. In-
volucris, & longis ambagibus obscurat
omnia, quasi griphos, & ænigmata com-

poneret, Sed quod mireris, quamquam sic scribat, nihil tamē crebrius loquitur, quam *lucem, splendorem, jubar, radios & cætera* id genus; & cum nondum liquido explicaverit quid sentiat, id tamen (quæ est hominis confidentia) se persuasisse jam putat. Passim enim gloriatur se rem totam in tam clara luce constituisse, ut nemo nostrum sit deinceps repugnaturus; cum tamen ne nunc quidem place assequamur quæ sit ipsius de his religionis capitibus sententia. Itaque quo vel ipse, vel alii saltem intelligant, quam vanus sit omnis istius labor, constitui cum bono Deo totam hanc causam excutere paulo acuratus. Dicam de tribus illis capitibus eodem quo Conciliator ordine; indagabo quæ sit ejus de singulis sententia, atque ratio, quamque vim ea habeat ad illam, quam meditatur, pacem inter Christianos componendam. Cætera, quæ plurima toto passim opere admiscet a præsentī causa aliena, ea vero neque probare, neque refellere est animus.

Omnis Conciliatoris industria, atque cogitatio in eo versatur, ut sua illa de

Cap. II.

XII. Concilia-
toris de Petri

primatu, deque
Eucharistia
theses; vel ina-
nes esse & ad
conciliationem
ineptas; vel
quod etiam gra-
vius est, dolosas,
& fraudulen-
tas,

Petri primatu, deque Eucharistiæ Sa-
cramento pronunciata admittant Evan-
gelici. Id si ab eis impetraverit, rem con-
fectam putat. Quamquam enim agnos-
cat alia esse, & quidem non pauca de
quibus Christiani litigant, illa tamen
duo tanti in omni hac controversia mo-
menti esse vult, ut si semel de iis con-
ventum fuerit, planam inde & expedi-
tam fore arbitretur ad pacē viam. Ac de
priori quidem capite sic statuit; Petro in-
ter XII. Apostolos primatum a Christo fuisse
concessum, idque prærogativa, & præ reliquis
peculiare eo nomine ipsi datum fuisse, quod non
modo in ipsius persona hæreret, sed ad successores
etiam devolveretur; Deinde primatus Petro con-
cessi, qui in eius muneris functione locum habe-
ret, rationem, non modo primariam illam Eccle-
siae constituendæ seu fundanda facultatem, &
Evangelii primitus promulgandi auctoritatem,
qua munus Apostolicum ab ordinariorum Pa-
storum munere discriminatur, respexisse, verum
etiam perpetui Ecclesiae regiminis causam po-
tissimum spectasse 3^o denique his de causis Petri
primatus iure & ratione Episcopum Romanum
in Ecclesia regenda merito Petri successorem ha-
beri. Alterum caput, quod est de Eucha-

charistia, ita definit: I. Corpus & sanguinem Christi a fidelibus non anima duntaxat spiritualiter, sed corpore i. so. etiam corporaliter recipi. II. Corporalem istam communionem, qua corpora nostra corpore & sanguine Christi fruuntur, primariam causam esse communionis eius, qua animæ nostræ Spiritus Christi fiunt participes. III. Fidem non esse propriè organum, quo Christi carni & sanguini communicamus, sed ad hoc requisitam, & necessariam conditionem, ut iis digne, & cum regenerationis spiritualis fructu communicemus. IV. Eos omnes, qui vera fide carent, posse quidem corporaliter Christi carni & sanguini communicare, reapse tamen & si proprie loqui velimus materialiter duntaxat eius fieri participes, cum vivificæ virtutis, quæ in Christi carne & sanguine inest, formalis ratio penitus absit ab eorum communionem. V. Dominum in instituendo ad corporis & sanguinis suæ communionem Eucharistiæ Sacramento, vere & reapse panem & vinum in carnem & sanguinem suum mutasse, ut panis & vini loco ipsum corpus & sanguinem suum vere & reapse acciperemus. VI. Fructum qui ex corporali simul & spirituali corporis & sanguinis Christi communionem a fidelibus percipitur eum esse, ut ipsam in hac vita corpore & anima sanctificentur,

& peccatorum suorum remissionis, tam resurrectionis & vitæ æternæ in corpore & anima adispicendæ arrhabonem, certumque pignus percipiant. VII. Porro Eucharistiæ Sacramentum in communionem corporis & sanguinis sui a Christo fuisse institutum, ut in eo quoque, quemadmodum antea populis Iudaicus sacrificia sua legalia & Mosaica habuerat, sic etiam Ecclesiæ Christianæ suum verum, & proprium esset sacrificium Evangelicum, iuxta differentiam legis & Evangelii, ex quibus illa figuram eorum & umbram, quorum hoc corpus & veritatem habuit. VIII. ipsam Christi corpus, ipsumque sanguinem, quæ a fidelibus per Eucharistiæ Sacramentum recipiuntur per Ecclesiam quoque Deo in sacrificium offerri. IX. Quemadmodum illud, quod Deo Patri obtulit Christus corporis & sanguinis sui in cruce sacrificium, unicum fuit redemptionis & propitiationis per illum nobis semel partæ & commeriæ sacrificium; sic etiam illud ipsum corporis & sanguinis Christi Eucharisticum sacrificium, quod Deo per Ecclesiam offertur, perpetuum & iuge redemptionis & propitiationis, cuius in possessionem mittimur, nobisque applicandæ sacrificium esse. Hæ sunt Cõciliatois theses; hæc totius, quod molitur, operis fundamenta. Primū igitur peto, ut hic in ipso disputationis limine cõsistat, respondeat

que bona fide, quo sensu ista, quæ nobis obtrudit, pronunciata, intelligat, an eo quo ab Ecclesiæ Romanæ hominibus vulgo accipiuntur, an alio? Si illud ait, quid fingi potest dilutius, atque obtusius, aut ad pacem conciliandam ineptius? Futuram pacem pollicetur, modo Evangelici Pontificiorum sententiæ, atque uoluntati obsequantur. Credo equidem; neque quemquam tam fungum, aut stipitem esse puto, qui id non intelligat. Nam quis nescit nullum esse dissidium, nullum certamen tantum, quod non componatur, si modo pars altera in alterius fidem atque opinionem transeat? Atqui vis omnis mali in eo ipso sita est, quod pars una ab altera dissentit. Tu modo consentiant, futurum prædicis ut discordiæ malo liberentur. O egregium acumen! Quasi quis ægrotanti sanitatem polliceatur, ea tamen lege, si agrotare desierit. Tum si in his pronunciatis eadem Conciliatori mens est, quæ Ecclesiæ Romanæ Doctoribus, plane is est, non jam quod profiteretur, Evangelicus, sed adversæ partis confectaneus. Nam vel ipso fatente

istorum maxime capitum fide constat
Ecclesiae Romanae a nostra discrimen.
Iam vero si respondeat haec se pronun-
ciata alio sensu intelligere, quam quo
accipiuntur a Romanis, eo palam fate-
tur se orbi Christiano illudere. Obse-
cro enim, est ne ulla Europei Christianis-
mi provincia, in qua aliud significant haec
propositiones, quam id ipsum, quod ho-
die a Romanis quidem creditur atque
defenditur, ab Evangelicis vero reici-
tur atque impugnatur? Testes appello,
quotquot sunt utriusque partis homi-
nes, quorum cum fides in his capitibus
diversa sit, sermo tamen unus est: Nam
& supremam Ecclesiae Monarchiam,
quam Romae Episcopo illi tribuunt, hi
negant, utrique *primatum* vocant; & eam
panis Eucharistici in proprium & uni-
vocum Christi corpus conversionem,
de qua tam acriter disputant, utrique
tamen *elementorum in Christi carnem mutatio-
nem* appellant. Itaque qui Romani Pon-
tificis primatum, atque Eucharistici pa-
nis mutationem in verum Christi cor-
pus, confitentur & credit, illum haec-
enus Romanorum quidem Ecclesia pro

suo, Evangelicorum vero pro alieno statim agnoscit. Hæ sunt notæ & familiares utriusque partis tesseræ. Quo factum est, (merito sane, si quid de his judico;) ut illa Conciliatoris duodecim pronunciata, quamprimum prodierunt, a Romanis quidem recepta, tanquam totidem fidei suæ capita; a nostris vero exhibilata, atque rejecta fuerint, tanquam a sua religione aliena. Putabant nimirum boni homines secum ex veteri verbo *bene agier*, neque ullas insidias in tritis usu publico vocabulis aut pertimescebant, aut suspicabantur. Nam si Conciliator ea vocabula aliter usurpavit, quam fert publica Christianorum consuetudo, est profecto fraudis, dolique mali manifestus. Scio quid in suorum circulis ad amoliendum hoc crimen causetur; nimirum phrascs istas a priscis Ecclesiæ doctoribus eo, quem intelligit, sensu accipi olim solitas. Quasi vero res illi sit cum Hilario, & Hieronymo, natisque ante duodecim sæcula mortalibus, ut necesse habeat illorum temporum emendicare vocabula, quo possit intelligi. Viderit antiqui-

tas quo sensu Romani sacerdotis pri-
matum, aut Christi carnem, & sangui-
nem dixerit. Nobis si forte cum vete-
ribus sentiendum, certe ex usu nostri
sæculi loquendum est. Equidem non
puto ullum è veteribus *Dominicam carnem*
eo unquam sensu dixisse, quem Con-
ciliator intelligere videtur. Sed fac di-
xisse. Num ideo licebit nobis præsen-
tis sæculi linguam mutare, & quam
publicus omnium vsus tacito quidem,
sed tamen uniuersali consensu antiqua-
vit harum vocum significationem, eam
privata authoritate post liminio revo-
care? Ne ipsi quidem Cæsares id sibi
unquam iuris in populi linguam sump-
sere. Totum hoc vocabulorum & ser-
monis imperium vni sibi vindicavit, ser-
vavitque hætenus constantissime v-
sus publicus, *Quem penes arbitrium est, &
vis, & norma loquendi.*

Athan. ep. de
Syn. Arimæ &
Seleuc. T. 1 p.
17. D. idem
habet. Milar.
de Synod.

Refert Athanasius quosdam vetustis-
simos Ecclesiæ Christianæ doctores, à
quibus damnata est Pauli Samosa-
teni hæresis, negasse Christum esse Pa-
tri homoousion, cum nimirum id vo-
cabulum alio sensu, quam quo hodie

sumitur, intelligerent. An eo fas erit nobis id vocabulum, cui constans publici usus auctoritas diversissimam significationem imposuit, in illa priore, iam pridem obsoleta, atque antiquata usurpare? Nemo sanus dixerit. Satis constat, quod etiam est alicubi observatum à Conciliatore, *Sacramenti* nomen latissime olim acceptum id omne significasse, quod aliquam signi rationem habet. Ideo iam fas erit homini Evangelico de sua fide apud magistratum dicenti, profiteri matrimonium apud suos censei in Sacramentorum numero? Absit. Nam cum alia hodie sit *Sacramenti* significatio, ea oratio sine fraude ac mendacio haberi non potest. Equidem non is sum, qui res fortunaeque Ecclesiae in verbis fitas esse putem. Id tantum volo de quo nemo umquam sapiens dubitavit, quandam esse sermonis religionem, ut eo praeter hominum apud quas loqueris, institutum ac mentem abuti non liceat, ad hoc ut lateas, animique sensa dissimules. Quod cum in omni vitae parte sit nefas, tum maxime ubi agitur de rebus gravissimis, quales divinae sunt; pra-

sertim apud magistratus, quorum tanta est, tamque sancta auctoritas, ut eos velut præsentia quædam numina vere-ri, nihil que apud eos nisi vere, simpliciter, ac sincere eloqui debeamus. Ac nemo non videt quantum ab eo officio discesserit Conciliator, si apud magistratum, eumque principem, de religione verba faciens illa, quæ posuit, pronuntiata sensu ab eo, quem publicus usus instituit, alieno intelligit. Itaque vel ex his satis constat, quam vana sit tam fluxo fundamento superstructa omnis istius reconciliationis ratio, quam in alterum ex duobus incurrere necesse est, ut vel inepta sit, vel etiam vafra & subdola; inepta, si quæ proponit Conciliator ea ex publico sermonis usu intelligit; subdola, si alio.

Caput III.
Idem alio argu-
mento evinci-
tur. Tum osten-
ditur Concilia-
toris de prima-
tu, & Eucha-
ristia sententiã
ab Ecclesia Ro-
manæ sensu ef-
se alienam.

Sed quo possimus de re tota certius etiam statuere, dabo in primis operam ut emergat, ac si fieri potest, eruatur ipsa Conciliatoris de his sententia. Quod antequam facio illud moneo, non posse me non vehementer admirari, quod vir bonus nostri que amantissimus tam diu nos, tamque sollicite celat suum

illud mysterium. Purat nos graviter laborare, ac nescioqua caligine im-
ditos teneri, ne ea quam scripsit lege,
pacē & concordiam *cum Catholicis* (ut ille
quidem loquitur) *ratam faciamus*. Iactat
se in promptu habere pharvacum, cu-
jus vel unico haustu non modo rele-
vari, sed plane etiam sanari possimus.
Quid ergo nobis salutem invidet? Quæ
ista est tam nova, tamque præpostera
medici crudelitas, ut quos curandos ul-
tro, & invocatus sumpsit, iis vel unicum
salutaris medicamenti haustum neget?
Mihi quidem (ut fatear quod res est)
iamdudum suspecta est illa sævitia; ne-
que tam videtur profecta ab inhumana-
tate, quæ in Conciliatore nulla est,
quam a propriæ vanitatis conscientia.
Fingat ille quicquid libuerit. Nullam
dicet idoneam causam, cur hæc ejus
doctrina (si vera est) delitescere debeat,
aut publicam lucem refugere. Quod
illam tegit eo ipso fatetur aut noxiam,
aut certe inanem esse, & operi, quod
molitur, perficiundo inutilem.

Sed jam missis præjudiciis rem ipsam
aggrediamur. Nam quamquam iste

Consil. p. 46.

Consil. p. 44.

In 1. ep. ad
Clar. de Andr.
Riv. p. 11.

verum ac genuinum duodecim illarum
thesium sensum premat, sollicitè que
tegat; quamquam alicubi denuncièt *se*
nihil dum definire, nihil aperire; tamen mul-
ta excidunt vel imprudenti, ex quibus
attentus, neque imperitus lector, si non
certo deprehendere, saltem probabili
conjectura assequi possit, quid iste clau-
sum in pectore premat. Ac primo
quidem illud pro certo affirmare posse
mihi videor, ejus de Petri primatu de-
que Eucharistia sententiam, 'quæcum-
que tandem illa sit, plane aliam esse ab
eâ, quæ in Ecclesiâ Romana docetur.
Nam, ut inde ordiar, cum vir clarissi-
mus Andreas Rivetus, Lugdunensis
apud Baravos Theologus, ipsius theses
perinde ab Evangelicis accipi monuis-
set ac si cum Romanis Doctoribus sen-
tiret, ille conquestus de timido ac sus-
picaci eorum ingenio, testatusque se
nullis conditionibus a nostra commu-
nitione dimoueri posse, mirari se res-
pondit quod non fuisset animadversum
*se neque monarchiæ, neque universalis in Ec-
clesiam potestatis meminisse; Quæ Concilia-
toris responsio est, tu mollissime dicam,*
falsa

falsa atque absurda, si is, quod faciunt omnes Romanorum Scholæ, urbis Episcopo vel summum Dominium, vel jus & potestatem iudicis, & quidem *ἀντιπροσώπου* in uniuersum Christi Ecclesiam tribuit. Sed neque in novissimo libello dissimulat ab isto se dogmate abhorrere, dum ab eo, quem ponit Petri primatu, formam regie auctoritatis, quæ in absoluto dominio sita est, disertissime summovert, ^{141.} affirmatque si ea in Ecclesia inuehatur, corrumpi instituta a Christo eius gubernandæ rationem, iam in altero de Eucharistia capite multo etiam apertior est Conciliatoris ab Ecclesia Romana dissensio. Primum enim negat illa, quæ Romanam de hoc articulo fidem consequuntur *ἀτοπήματα* (nimirum ut *ἓν ἓν* idemque corpus pluribus simul in locis existat, ut quæ accidentia sublato eo, cui inerant, subiecto permanant): negat inquam ista in sua sententia habere locum; unde necessario conficitur eam, quæcumque tandem illa sit, neque eandem esse cum Romana sententia, neque in Ecclesiæ mensis, aut in ore fidelium illud ipsum Christi corpus, quod in cælo est, proprie collocare.

B

Consil. p. 133.

Ep. 1. ad Riv.
p. 12. & Con-
sil. p. 57.

Conf. auat. p.
49. 50. 52. 53.
55. 59. 69. 134.
138.
* 59. 55.
49. 53.

p. 138. 93.

Ep. r. ad Riv.
p. 138. 93.
il. p. 138.
p. 138.

Hoc vero etiam ex eo patet, quod Conciliator passim contendit non esse in materia cogitandum illud, quod a fidelibus ipso corpore participari vult Christi corpus. Quid quod eo nomine intelligi vetat id corpus, quod *materie sue circumscriptum* *haccidentibus* * Capernaunte a discipulis visum, postea suffixum cruci militisque lancea perfosum; tandem in caelos subduatum est? Quin & eo progreditur ut si quis aliquid huiusmodi cogitet, iure eum in errore atque impietate versans, unaque cum Capernaite desipere pronunciet. Neque est quod quisquam putet haec eius dicta eo sensu accipiposse, quo Romani Doctores similes Patrum sententias interdum emolliunt student, nimirum ut Conciliator non negaverit quidem a fidelibus summi id ipsum Domini corpus quod olim in terris visum nunc in caelo est: sed hoc dumtaxat voluerit id corpus, dum sumitur, alia conditione esse, alioque modo existere, quam quo olim exiit, dum in terris fuit. Nam praeterquam quod differentia sunt verba, quam ut tam dilute glossemate dissolvi queant, ipse sibi

Conciliator hoc effugium apertissime
præcludit, dum Evangelicos suos in eo
gravissime errare pronunciat, quod per
eam carnem, quam Christus daturum se
promittit discipulis manducandam, il-
lud Christi corpus quod jam in cælo est,
ipsamque veram & propriam corporis
illius substantiam intellexerunt. Atqui
Christi carnem Evangelici neque laviant,
neque discerpunt, neque in terris visibi-
lem faciunt, neque omnino ad eam re-
vocant existendi rationem, quam olim
fingebant Capernaitæ, ad hoc ut ea pos-
sit manducari. Ergo necesse est ut Con-
ciliator aliud in animo habeat, quod
vetat Christi corpus in materia cogita-
ri. Alioqui id immerito, ac præter om-
nem rationem Evangelicis objicit. Sed
mens eius clara est, per illam quam man-
ducamus Christi carnem, non esse in-
telligendam eam dominici corporis sub-
stantiam, quæ ex Virginis utero nata, in
terris olim visa, crucifixa, tumulo illa-
ta, moxque cælo recepta est. Itaque
cum non modo Evangelici, sed ipsi etiã
multo magis Romanæ communionis
homines carnem Christi eo omnes sensu

ibid. p. 19. 60

61.

ed. q. bic

accipiant, satis jam liquet ab utriusque
 discedere Conciliatorem, ejusque hac
 de re sententiam, non modo a nostra,
 quod ipse aperte profitetur, sed etiam
 a Romanorum fide (quod strenuè dis-
 simulat) plane esse alienam. Sed quid
 est argumentis opus? *Corpus illud Christi,*
 quocum in hac vita unimur negat cogitandum
 esse in caelo, ubi Christus ipse nunc sedet secun-
 dum formam Regis: Negat oculos aliosve
 sensus ferire. Hunc ergo quis non vi-
 det a Romana fide longius distare,
 quam ipsos illos Evangelicos, quos Ro-
 manis conciliare studet? Quid? quod
 pertendit eadem ratione dici, *Christi*
carnem participandam, qua crucem, Christi ge-
standum? tamque absurde facere eos, qui
 in priori sententia carnem Christi ma-
 terialem cogitant, quam si quis in poste-
 riore somniet materialem illam cru-
 cem, cui Dominus affixus fuit? Ergo ut
 qui gestare Christi crucem dicitur non
 eo bajulare censendus est ipsum illud li-
 gnum, in quo Dominus olim pependit
 ita ex huius mente qui Christi carnem
 participat non ideo putandus est ipsum
 illud corpus percepisse, in quo Christus

ibid. p. 65.

ibid. p. 51.

ibid p. 69.

vivit; quod equidem non video qua ratione possit cum Romanæ Ecclesiæ placitis convenire. Sed neque cum illis congruit ea, quam iste tradit, corporeæ nostræ cum Christo communionis ratio. Vult enim terrenum, ut loquitur, Christi corpus eodem modo nobiscum jam in hoc sæculo communicari, quo gloriosum in cælis olim communicabitur; Quod si verum est, perit oralis Romanorum manducatio. Neque enim quisquam, credo, somniaverit gloriosum Christi corpus nos olim in cælis ore percepturos, aut in viscera integrum trajecturos. Nō minus abludit ab Ecclesiæ Romanæ fide, quod sciscit alicubi, quo modo Christus in nobis est eodem nos quoque in ipso esse. Nā si ita est, Christus profecto non est in nobis per oralem corporeæ ejus substantiæ manducationem, quod volūt Romani, cum certū sit nos nequaquam ea ratione in Christo esse. Denique cum decernat Conciliator nostræ illius, quam ponit corporeæ cum Christo communionis mysterium reapse perfici, *dum in nostro corpore Christi mortificationem circumferimus*, id est, dum

Ibid. p. 105.

Ibid. p. 71.

Ibid. p. 65 96.

Christi causa atque exemplo aliquid ip-
 so corpore patimur; Cum idem alibi di-
 catur, corpus illud Christi mysticum,
 quod manducandum nobis traditur,
 esse ipsam eius humilitatem, cum hæc in-
 quam & alia ejusdem farinae toto passim
 opere perstrepat; quis non videt quàm
 diversus abeat ab Ecclesiæ Romanæ fi-
 de, quæ profecto neque id, quod man-
 ducandum in Sacramento credit Chri-
 sti corpus, humilitatem esse putat, sed sub-
 stantiam, neque vero id nobiscum reap-
 se, & corporaliter communicari existi-
 mat, quoties aliquid pro Christo pati-
 mur? Possem alia non pauca comme-
 morare. Sed ex his (ni fallor) satis in-
 telligitur Conciliatoris de hoc capite
 sententiam ab eorum fide, quibus nos
 conciliare cupit, admodum esse alie-
 nam. Atque hujus diversitatis ipse sibi
 conscius nunquam profitetur, (quod
 ego quidem observaverim) theses suas
 menti atque fidei Romanorum esse con-
 sentaneas, quas tamen cum eorum effa-
 tis & pronunciatis convenire passim glo-
 riatur. Quem in sensum interpretor
 quod ait alicubi eas se iuxta Catholicorum

Ibid p. 95.

101. q. bidl

17. q. bidl

Ibid. p. 66. 69.

Ibid. p. 106.

assertiones, & omnium veterum Patrum mentem ad amissim concinnavisse. Invenit nimirum aliam esse hodiernæ Romanorum Ecclesiæ; aliam veterum Patrum de istis mentem, ut ut eadem videatur utriusque scholæ oratio; seque verba utrisque communia retinuisse; Patrum in his mentem sequutum esse. Atque id quidem consilium simplicitatis, & veritati Christiana ad amissim cõgruat, nolo in præsentia disputare; Quin calidum sit & versutum, temporibusque commodum, id vero neque nego, neque sane negare velim.

Sed Conciliatorem quidem ab Ecclesiæ Romanæ sententia discedere non est obscurum. Ipse vero quid de his statuatur, haud ita facile est intelligere; De primatu Petri, levissime defungitur: neque usquam definit, quid tandem illud sit quod eo nomine significatum vult, quamquam se unum esse jactet, qui huius argumenti nondum a quoquam explicatas latebras tam mirabili ratione sit aperturus, ut omnes illico Evangelici in ejus sententiam pedibus manibusque ituri sint. Sed hæc cras; hodie

Caput IV.

Conciliatoris
que sit de primatu Petri sententia. Cameronem immeritissime ab eo perstringi, & committi cum nostris.

Ibid. p. 27.

quidem nihil. Vidi qui affirmarent hanc esse viri in hoc articulo mentem; Petri primatum nihil aliud ei esse, quam Petri in Apostolorum collegio, totaque illa nascentis Hierosolymis Christianismi Ecclesia hujusmodi dignitatem, qualis olim fuit Episcopi in sua cujusque parœcia: qualis nunc est decani in suo cujusque capitulo: qualis præsidis in sua cujusque classe; Nominum enim hanc gubernandæ Ecclesiæ suæ rationem constituisse, ut Ministrorum collegio præesset unus aliquis sine ullo tamen in collegas imperio; hancque eum politiæ formam in Petro sanxisse, quem primo illi Christianorum coetui præfecerit, ut ad hoc exemplū, singuli postea suorum coetus, sive parœciæ regerentur. Itaque & Romæ Episcopum, & cæterarum Ecclesiarum Pastores Petro omnes successisse, quatenus id habent in sua quisque parœcia munus, quod olim Petrus in illa Christianorum Ecclesia gessit, ex qua aliæ omnes propagatæ sunt; neque hac in parte ullam esse cujusquam in cæteros prærogativam. Hæc ego quidem ab aliis accepi, qui ea se ab ipso

Capit. IV.

Constitutione

de Petri primatu

in Ecclesia

Romana

et cæterarum

Ecclesiarum

pastores

omnes

successisse

quatenus

id habent

in sua

quisque

parœcia

munus

quod olim

Petrus

in illa

Christianorum

Ecclesia

gessit

ex qua

aliæ omnes

propagatæ

sunt; neque

Conciliatore audivisse referrent; Quæ
 sane si vera sunt iste suis, ut vocat, Ca-
 tholicis splendide illuserit, quorum u-
 niuersali Episcopo pro Catholica, quam
 ille sibi sumit monarchia, tam tenue,
 tamque jejunum unius patroeciæ impe-
 riolum, velut verius dicam, imperioli
 umbram donat. Sed horum quidem
 ille plane nihil in eo quem vulgavit li-
 bello. Sapienter sane; quippe qui satis
 videt ubi semel patefacta fuerint hæc
 ingentia mysteria, spes omnes, cogita-
 tionesque suas abituras in fumos; sibi
 pro gratia odium, pro plausu ludibrium
 fore. Itaque homo callidus ista nunc
 velut syrtes, & scopulos prætervehitur;
 & missis, quæ ipsum cum Romanis com-
 mitterent, in nostros, quod gratum
 fore non nescit, involat, Narrat enim
 quod omnes retro Evangelici negave-
 rant, primatum Petro à Christo fuisse
 concessum, id Ioannem Cameronem,
 insignem inter ipsos Theologum, non
 modo affirmare, sed etiam luculentissi-
 mis argumentis confirmare ausum esse;
 eamque ipsius sententiam multos jam
 ejusdem ordinis sequi. Tum miratur

Confil. p. 18.
 19.

Ibid. p. 26.

quod is Theologus (quem prolixè sane, & ad invidiam laudat) negaverit Petri primatum ad posteros pertinere, totumque in Petri personâ hæsisse contenderit; cum longe alia sit Patrum sententia; quod Conciliator uno atque altero Cypriani testimonio demonstrare conatur: atque Evangelicos, si ii quæ in Patrum scriptis de hoc argumento occurrunt, diligenter expendissent, de tribus illis quæ ipse super Ecclesiastico primatu pronuntiavit, plane fuisse assensuros. Sed quousque nos iste ludet ambiguis, incertique sensus vocibus? Quin edit tandem, quid sit is primatus, quem pertendit Petro a Christo datum, exindeque ad Romanum Pontificem legitimo hæreditatis jure devolutum? Quamdiu id nescimus, novi Andabatae in tenebris pugnamus. Nam si his nominibus intelligitur aliquod fuisse Petri in cæteros Apostolos imperium, id sane ab omnibus pariter Evangelicis negari, atque impugnari certum est. Neque contraria sententia Cameroni citra immanem calumniam affingi potest; qui in ipsa illa, quæ hic a Conciliatore

Ibid. p. 26.

perstringitur, diatriba disertissime, ac
 copiosissime disputavit nullam fuisse
 Petri prerogativam talem, *quæ vel Mo-*
narchia esset, qualem sibi nunc arrogat Episco-
pus Romanus, vel ulla omnino iurisdictione, ullum-
ve imperium in ceteros Apostolos; quod
 utrumque caput iis ille argumentis de-
 monstravit, quæ hactenus a nemine ad-
 versariorum, quod sciam, vel confutata,
 vel etiam sollicitata fuerunt. Sin Petri
 primatus Conciliatori est id quod Petro
 a Domino concessum fuit, ut is ante cæ-
 teros Evangelium prædicaret, princeps-
 que tam inter Iudæos, quam inter Gen-
 tes Ecclesiæ Christianæ fundamenta ja-
 ceret; (quamquam id quidem neque ab
 aliis, neque verò ab ipso Camerone so-
 leat dici *primatus*) tamen si ita loqui pla-
 cet, non nego Cameronem eo sensu
primatum Petro asserere. Sed eum pri-
 matum Petro a cæteris Evangelicis ne-
 gari, id verò tam falsum est, quam quod
 falsissimum. Quis enim illorum de eo
 dubitaverit, quod ipse Dei Spiritus in
 Apostolorum historia clarissime, lucu-
 lentissimeque prodidit Petrum fuisse,
 qui primus, tum Iudæis Hierosolymis,

Ioa. Cam. in
 Mat. 16. 18. 19.
 T. 2. prælect.
 Th.

Vide Rati-
 onab. Colloq.
 cum Hæreticis
 1. 2. 10. 11.
 Chamberlain
 1. 2. 10. 11.
 11. 11.

Act 2. 14. &
 10. 34.

al. m. d. isol
 et 81. m. m.
 Balag. T.
 IT

~ Vide Rai-
 nold. Colloq.
 cum Harro. p.
 119. 120. D.
 Chamier. l. 21
 c. 21. §. 2. A-
 lias.

tum Gentibus Cæsareæ Domini resur-
 rectionem, atque Evangelium prædi-
 cavit, traductisque hoc suo ministerio
 ad Christi fidem non paucis foelicissi-
 ma Ecclesiæ Christianæ in utroque po-
 pulo fundamenta posuit? Atque ita pa-
 tet, quam sit vana & inutilis hæc omnis
 de nostro Camerone Conciliatoris ora-
 tio. Nam neque is, quem Evangelici
 negant, Petri primatum usquam asse-
 ruit; neque quod is Petro tribuit præci-
 puum, id umquam Evangelici negave-
 runt; Qui ne de eo quidem primatu liti-
 gant, quem Petro Patres aliquando tri-
 buunt ordinis si forte, aut præstantiæ;
 Eum modo primatum impugnant, qui
 cum summo in uniuersam Ecclesiam
 imperio coniunctus, Petro a Romanis
 doctoribus iam inde ab aliquot retro se-
 culis magna contentione defertur. Fa-
 teor id inter suos Camerone esse sin-
 gulare, quod nobilissimum illum locum,
 quo se Christus suam Ecclesiam super
Petram ædificaturum promittit, ad illas
 refert, quas modo memoravimus, Apo-
 stolici ministerii primitias; ea verba sic
 accipiens, quasi Dominus pollicéatur

Petro ejus se opera ac velut manu prima positurum cœlestis substructionis fundamenta. Sed ex eo quis sanæ mentis colligat Cameronem, quem sui hactenus negaverant, Petri primatum asserere? Atqui res ipsa clamat non alio spectare totam eius de hoc loco disputationem, quam ut omnia primatûs illius fundamenta convellantur, atque subvertantur. Itaque nihil erat, quod Conciliator viri doctissimi, innocentissimi que, ac de se olim dum vixit optime meriti manibus hanc infamiam inureret, ut a quo illum vehementissime abhoruisse non nescit id ipsum illi per summam iniuriam affingeret. Sed & ex superioribus liquet nullam ei mirandam causam fuisse, quod Camero contendere id totum, quod Petro concedit præ cæteris Apostolis præcipui, in ipsius persona hæsisse, neq; ad ullum posterorum pertinere. Nam qui omnem istam Petri prærogativam in eo sitam esse docuit, quod Petrus Ecclesiam primus fundaverit, qua is ratione potuit hanc prærogativam vel ad posteros, vel omnino ad ullos alios extendere? Quod vero

subiicit Conciliator de Patrum sententia, id nihil ad rem facit. Nam neque Camero hanc suam Dominicæ promissionis expositionem ex Patribus hausit (quod affirmare videtur Conciliator) sed ex Scripturis; neque quisquam Patrum est, qui Petrum putet in eo quod Christi Ecclesiam primus fundavit, ullum successorem habuisse. Si quid Cyprianus vel ex eo numero alius senserit Petro collatum fuisse à Christo, quod ordinariam Ecclesiæ regendæ rationem spectet, id nihil ad Cameronem. Nos quidem scimus neque Cyprianum, neque illius ævi quemquam Petro ullum in cæteros Apostolos aut imperium, aut magistrum tribuisse, ut Romano Episcopo non inde iuris vel potestatis in reliquos Christi ministros quæri possit, siquidem ad eam formam exigantur Romane sedis præ aliis *apostolica*. Quid enim est illis Cypriani verbis dissentius, quibus ait Christum Apostolis omnibus post resurrectionem suam potestatem tribuisse, cum dixit, sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum. Sicut remiseritis peccata, remittentur illi, Sicut tenueritis

Conf. p. 22.

Cypr. de unit.
Eccl.

ritis, tenebuntur? Quid illis quæ subicit
 clarius, hoc fuisse utique & cæteros Apostolos
 quod fuit Petrus, pari consortio præditos & ho-
 noris, & potestatis? Tum & omnium E-
 piscoporum parem itidem esse inter se
 potestatem illa evincuat, quæ sequuntur
 in eodem Cypriani opusculo, *Episcopatus*
 (inquit) *unus est, cuius a singulis in solidum*
pars tenetur; quibus ea concinunt, quæ
 alibi apud ipsum leguntur, *singulis pasto-*
ribus portionem gregis esse ascriptam, quam re-
gat unusquisque & gubernet, rationem sui actus
Domino redditurus. Neque his repugnat,
 quod Cyprianus in locis a Conciliatore
 laudatis videtur existimavisse Christum,
 quo suæ nobis Ecclesiæ unitatem com-
 mendaret, uni primum Petro ejus mi-
 nisterium tradidisse. Id enim vult fa-
 ctum *omnino pueris* ad significandum u-
 nitatis mysterium; Alioqui docet A-
 postolos pares inter se, ac id ipsum fuisse
 se quod erat Petrus. Itaque nisi Conci-
 liator suum illud triplex de Ecclesiastico
 primatu effatum aut luculentius ex-
 plicet, aut confirmet acuratus, non est
 quod speret quemquam ex Evangelicis,
 assensurum. Neque enim ii solent vel

Id. ep. 55. ad
 Cornel.

Capit. V.

Quæ sit Conci-
 liatoris de Eu-
 charistia senten-
 tia. Ex ea sequi
 Conciliatoris
 & Christiani
 illud & lon-
 gius quam nos

ignotis & ambiguis, vel incertis & fallacibus temere subscribere. Caterum duo sunt de quibus eum hic obiter monitum velim; unum, ut siquid deinceps nobis persuadere cupiat id ex scriptura potissimum constituat, quam & ipse *unicam veri regulam*, & nos unicum fidei nostrae fundamentum esse profiteamur. Alterum, ut siquid è veterum Patrum monumentis laudandum putaverit, id certum sit & constans, nec variis lectionibus obnoxium. Nam verba illa quae ex Cypriano profert, *unam cathedram constituit*, item illa altera, *Primatus Petro datur, ut una Ecclesia Christi, & cathedra una monstretur*, ac denique ista, *Qui cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia*, illa inquam omnia leguntur quidem in Pameliana editione, sed in Gryphiana & Morelliana desiderantur, quarum haec anno 1534, illa 1537. prodit.

Sed iam venio ad alterum caput, quod est de Eucharistia. In hoc vero Conciliatore multo est, quam in precedenti verbosior, varia nostrorum hominum placita, dictaque partim publica, partim privata perstringens, sua fur-

tim

2. part. p. 12.

Caput V.
 Que sit Conciliatoris de Eucharistia sententia. Ex ea sequi Conciliatorem & Christianis illudere, & longius quam nos

tim permiscēs, obscuris vera involuens. ipfos, ab Eccle-
 sia Romana
 sensu discedere
 ac multa deni-
 que apertissimo
 falsa dicere.
 Operæ autem pretium fuerit, quid ipse
 de hoc mysterio sentiat, in primis com-
 pertum & constitutum habere. Mihi
 quidem sic videtur. Principio ponit fi-
 deles Christi in hoc sæculo participes
 fieri, non tantum spiritu, sed etiam
 corpore. Hoc vero nihil aliud esse vult,
 quam eadem esse secundum carnem
 conditione, qua Christus olim fuit dum
 vixit in terris. Nempe Christus *tum no-* part. 1. 65.
stra caussa humilis, abjectus, probris & igno-
minie obiectus, in maximis vite ærumnis, &
angoribus versatus, servorum denique suppli-
cio & morti nefandæ expositus fuit: hęc nobis
 conditionem suscipiendam, Christique
 Domini crucem tolerandam, ac baju-
 landam, & mortificationem corpore
 nostro circumferendam; quod qui fa-
 ciunt ejus passionem, atque humilita-
 tem imitando, illos Christi carnis esse ibid. p. 102.
 participes, & quidem ipsa carne, in qua
 hęc potissimum patiuntur. Ad hoc ve-
 lut unicum totius Theologiæ funda-
 mentum refert pœne omnia, quæ de
 Christi communiōne habentur in scri-
 pturis, ea verò maxime in quibus caro

eius *participanda* aut *māducāda* dicitur. Quæ
 enim istis locis, *caro Christi* vocatur eā iste
 nihil aliud esse vult, quam ipsam Christi
 mo rtem, pœnam, atque perpeſſionem,
 uel (ut alibi loquitur) *ipsam eius humilita-*
tem, * eoque sensu intellectā Christi car-
 nem distinctionis causa, *corpus Christi my-*
ſticum indiget, aut *mysterium corporis,* * itē-
 que *carnem Christi divinam ac spiritualem* ex
 Hieronymo, ut ipse quidem putat. Ad
 hoc vero mysterium pertinere vel in pri-
 mis Eucharistiam decernit, non alio fine
 a Domino institutam, quam ut fideles
 ad crucis, atque mortificationis discipli-
 nam formet, ac erudiat; In eo enim epu-
 lo Christum illud ipsum poculum, quod
 a patre acceptum voluntati eius obtem-
 perans patiētissime hausit suis omnibus
 propinasse, iubendo, *Bibite ex eo omnes.* Ita-
 que *panem & vinum* vetera Mosis elemen-
 ta, quæ sub priori fœdere terreſtris cibus
 erant, a Christo esse immutata per ver-
 bum sanctificationis, factaque esse non
 in signo, sed revera corpus & sanguinem
 Christi; novi fœderis sacramenta. * Hic
 est, quantum equidem observare, atque
 rimari potui, Cōciliatoris, nostri sensus;

2. part. p. 133.

238. 239.

* 1. part. p. 95.

* ibid. p. 95.

48.

2. part. p. 137.

ibid. 67 68. 131

269.

* 1. part. p. 43.

hoc ingens illud mysteriū, quod tam sol-
 licite, tāque religiose tegit; hoc salutare
 illud medicamentū, cuius vi & efficacia
 singulari redditurum se Evangelicis o-
 culos ac mentem, omnemque ex orbe
 Christiano discordiam propediem de-
 pulsurum sperat. Itaque ad hunc veluti
 canonem exigēda, quæcumque magno
 utriusque partis miraculo paradoxa ef-
 fudit, ac illa in primis pronunciata, quæ
 tamquam totius causæ fundamenta iam
 ab initio posuit. Quod enim Christi cor-
 pus corpore corporaliter recipiendum
 esse decernit, eius ille nomine, Christi
 crucem, atque passiones carne, dum hic
 vivimus, excipiendas intelligit. Corpo-
 ralis illa, quam tantopere deprædicat,
 corporis & sanguinis Domini commu-
 nicatio, ea si simpliciter, & quo nos cras-
 si utimur sermone loquendum est, affli-
 ctio est quam, pro Christo fideles in car-
 ne patiuntur. Id ipsum illi est *Christi carne*
vesci; quod quidem ipsa fide non fit, sed
 tamen sine fide male fit, & nullo fructu;
 quia nimirum quas hypocritæ aliquan-
 do sine vera fide, & caritate subeunt
 Evangelii causa passiones ex ipsis plane

Thesi. 1.

2.

3.

4.

5.

sunt inutiles, virtute illa verificata destituta, quæ in Christi passione inest. Caro sitidem illa, illeque sanguis, in quæ Christi verbo immutari ait panis, vini que elementa, crucis & mortificationis Dominicæ Sacramenta sunt. Nam illa sane elementa, Christi sanctificatione verè ac reapse sacramenta fieri novi fœderis, non autem sacramentorū signa ac figuras, nemo est vsque adeo sacramentarius, qui neget. Denique ea sanctificatio, quam ex corporali dominicæ carnis communionem in corpora nostra derivat, nihil aliud est quam eximia illa dignitas, quam fidelium corpora ex eo consequuntur, quod pro Christo afflicta fuerint, Christique crucem bajulaverint.

Quod si in his & similibus dictis is vere est, quem representavimus, Cōciliatoris sensus, (vt esse sane videtur) primum hinc illud conficitur, quod iam supra monuimus, istum Christianis illudere, qui quam apud eos habet orationem, & quidem de re omnium maxima, eam ex vocabulis & phrasibus sic a communi ipsorum usu remotis, atque alienis instituit, vt plane aliud dicere voluisse vi-

deatur, quam quod re vera intelligit. Tum, & illud consequitur, (quod ipsum etiam supra demonstravimus) Conciliatoris de Eucharistia sententiam, ut ut ea verbis cum Ecclesiae Romanae fide conveniat, ab eius tamen mente penitus esse alienam, multoque ab ea longius distare quam nostram. Nos enim hactenus certe cum illius Ecclesiae hominibus convenimus, quod verum proprieque dictum Christi corpus fidelibus participandum putamus; corpus inquam illud ipsum, quod e Virgine olim natum, in terrisque visum, ac versatum, nunc in caelis locatum summa fruitur gloria; in eo tantum discordes, quod communionem illam aliter, atque aliter fieri credimus. At Conciliator ne ipsum quidem illud Christi corpus, de quo utriusque convenimus, nobiscum a Domino communicari concedit: sed aliud nescio quod de Hieronymi scilicet & Augustini officina effictum, ac de promptum obtrudit; atque ita non modo non perimit veterem litem, sed novam insuper ferit; quod quam belle conveniat, cum eo, quod sumit, Mediatoris officio, ipse viderit. Sed

& detractâ eius orationi hac (vt sic dicam) persona , nemo non videt quæ in hac caussa Conciliator, tamquam oracula certissima effundit, plæraque apertissime falsa esse. Quale illud est, quod in ipso limine nobis narrat, sacramentariâ disputationē in eo maxime verti, quod Christi corpus & sanguinem ipso corpore a fidelibus percipi Romani quidem a- iunt, Evangelici vero negant. Id vero in Conciliatoris sensu longe est falsissimū. Neque enim umquam Christi crucem a fidelibus ipso corpore ferendam, aut negarunt nostri, aut probare studuerūt aduersarii. Id apud utrosque in cōfesso est, planeque ab eo quod est in cōtroversia, remotum. Eiusdem farinae est, quod paulo post ait omnem hanc litem & ex eorrtam esse, quod Evangelici negaverint fideles ipso corpore dominicæ carnis participes esse; & vero dicimi posse, si illi affirmaverint, idque unice optare aduersarios. Nam si verbis istis non aliud significatur, quam quod Conciliator intelligit, nimirū fidelibus crucem Christi & quidem ipso corpore gestandam, quid iis dici potest falsius? Quid enim? Nobis-

ii. part. p. 30.
§. 47.

ibid. p. 40. 41.

ne Ecclesia Romana ideo sua commu-
 nione interdicit, quod istuc negememus?
 Hoc cine est cujus à nobis confessionem
 tantopere flagitat, pacem (si annueri-
 mus) concessura? Apage tam frigidas
 nugas. Longe alius est controversiæ sta-
 tus. Non enim de Christi passionibus ea-
 rumve communicatione, sed de Eucha-
 ristia quæritur, num scilicet id quod in sa-
 cra mēsa sanctificatur a ministris, quod-
 que a fidelibus accipitur, & in os atque
 ventriculum demittitur, quod colorem
 ac saporem, reliquamque omnem panis
 & vini speciem sensibus exhibet, num id
 inquā, non panis aut vini, sed illius Chri-
 sti corporis, quod iam in cœlo est, vere,
 ac citra ullum tropum substantia sit im-
 mortalis, atq; incorruptibilis, eodē illos
 qui vni Deo opt^o. max^o. debetur, patriæ
 cultu adoranda? Hoc enim constantissi-
 me & affirmant Ecclesiæ Romanæ ho-
 mines, & nostri negant; neque si Conci-
 liator sua utrisque mysteria persuaserit,
 hoc ideo agitare desinēt. Et ex his quidē
 satis constare posset, quam vana sit om-
 nis istius ratio, qui quæ sunt in confesso
 ea sedulo curat; de quibus certatur ea in-



tracta sunt. Sed quia is in hoc suo invento mirifice sibi placet, neque aliter exultat & plaudit quam si errorē plane omnem debellasset, monstrisque orbem liberasset, age omnem hanc eius sententiā penitus inspiciamus, breviterque expēdamus, quid ea veri, quid falsi ferat, novane an vetus, quatenus que admittenda, aut reiicienda sit.

Caput VI.

Quaedam esse vera in Conciliatoris sententia, sed ea neque nobis ignota, neque ad conciliationem utilia aut apta esse.

* Math 10. 38.

& 16. 24.

Marc. 8. 34.

Luc. 9. 23.

Act. 14. 22.

1. Thess 3. 3.

1. Pet. 2. 21.

1. Tim. 3. 13.

Rom. 8. 28.

Itaque id imprimis admittimus, quod ille præstruit, fidelium eandem hac in vita esse sortem, quæ Christi olim in terris fuit; ab ipso Domino edocti, si quis eum sequi velit, crucem tollendam; & ab Apostolis, regnum cœlestē per multas tribulationes adiri, divinæque huius discipline mystas in id ipsum esse positos; eamque dominicæ imaginis partem esse, ad cuius conformitatem prædestinati sumus. Tū neque illud negamus, quod ex his necessario consequitur, ea ratione nos Christi participes fieri, sive, quod eodem redit, Christum nobis communicari; quatenus nimirum per eas passiones, quas Christi causa, & nomine ferimus, illius vitæ imago, quæ olim in Christi carne fuit, nunc in nobis quoque effingitur, & qui-

dem ex eo ipso, velut ex absolutissimo quodam exemplari, hausta atque expressa; Qualiter ab Apostolo dicuntur fideles *divinae naturae participes* esse, quod earum perfectionum, quæ in Deo optimo ^{2. Petri. 1. 4.} maximo refulgent similitudo quædam, ac velut umbra (quamquam ea tenuiter sane, & pro creaturæ modulo) ducta & delineata in fidelibus quoque conspicitur. Iam quando ea est ratio Evangelicæ illius crucis, ex qua nostra hæc cum Christo conformitas existit, ut *carne quoque gestanda sit; corporeque portanda*, quæ ait Paulus *Domini Iesu stigmata*; ^{Gal. 6. 17.} profecto neque illud negaverimus, in quo Conciliator noster tantopere triumphat, fideles eatenus ipso etiam corpore Domini esse participes. Nimirum fidelium eadem est secundum carnem conditio, quæ Christi fuit. Ergo eorum caro aliquid habet cum Christi carne commune, cuius ratione ipsa quoque dici potest dominicæ carnis esse vel fieri particeps. Neque eo sensu sumpta corporalis nostri cum Domino Iesu communio ab ullo unquam Evangelicorum negata, est, ut non sit quod ^{1. part. p. 81.}

ibid. 3. 34.

Conciliator miretur viros (quos acutos ac caetera pene summos fatetur) rem tam obviam non perspexisse. Quam illi tantopere refugerunt corporalem fidelium cum Christo communionem, ea vero plane alia est; nimirum ea ipsa, quam ponunt Romani, ac Tridentini Patres, qui immortalem Dominici corporis substantiam, panis vinique speciebus (ut illi quidem loquuntur) inclusam, in os mortalium inferri, ac in ventriculum demitti volunt. Quod si Conciliator majores nostros eo parum acutos fuisse putat, quod noluerint vel non potuerint adversarios unius vocule ambiguitate deludere, corporalem Christi communicationem confitendo quidem, sed alio, quam quo illi intelligunt, sensu; nos vero istius avorum nostrorum, seu rusticitatis, seu etiam stultitiæ, adeo non pœnitet, ut ne nunc quidem aliter cum adversariis agendum censeamus, omnemque istam fallendi, ac simulandi artem nulla nobis specie, nullo fuce commendari posse ultro gloriemur. Sed redeo ad Conciliatoris sententiam, in qua neque illud

postremo reprehendimus, quod ad hanc, quam modo commemoravimus nostræ cum Christo conformitatis speciem, Eucharistiæ mysterium suo quodam modo pertinere putet. Nam cum Christus moriens fidelium cum variis ærumnis, atque infirmitatibus in hoc sæculo luctantium exemplar sit, fieri profecto non potest, ut quo Sacramento Christi mors nobis repræsentatur non eodem quoque de nostra in Christo *ve xp̄w̄ōō* nostraque hætenus cum eo conformitate moneamur. Neque nobis vel verius, vel etiam speciosius objicitur huius Eucharistiæ usus ignoratio, qui & sæpe alias a nostris hominibus, & vero non ita pridem a reverendo viro I. Mestrezato, quem honoris causa nomino, monuculentissime explicatus est.

Atque hæc quidem sunt in isto Cõciliatoris dogmate, quæ vel probari, vel certe ferri possint. Sed sunt etiam alia non pauca, in quibus illum partim hallucinari, partim etiam gravissime errare existimamus. Nam primo non video quid causæ sit, quod eam com-

Homil. in hæc
verba Hoc
in corpus
meum. p. 113.

Cap. VII.

Imperfe-
cte descriptam
esse a Conc.
nostram cum
Christi carne
communionem.

1. Cor. 6. 15.
16. 17. 18. 19.
20.

2. part. p. 67.
68.

Eph. 2. 15.

munionem' quæ cum Christo nobis secundum carnem intercedit, in has angustias egerit, ut eam ad solas illas perpeffiones, quæ cum Christi carne nobis sum communes, referendam putaverit. Vel unus ille locus, quem ex priore Pauli ad Corinthios epistola describit, satis monere eum poterat, in eo quoque sitam esse nostram cum Christo hac in parte communionem, quod quemadmodum Christi caro a peccati labe & sordibus pura, æterni Spiritus sanctuarium fuit; sic etiam nostra, postquam cœlesti igne a Christo purgata, atque excocta est, in facram Deo ædem assurgit; quam non pristinæ amplius libidines, non veteris serpentis venena, aut afflatus polluant, sed pudicitia, sobrietas, atque sanctitas, cæteraq; ejus generis virtutes exornant. Quod vero objicit Conciliator carnem Christi apud divinos scriptores idem plane esse, quod Christi crucem; primo id falsum est, & vehementer absurdum. Neque vero si Apostolus dixit *Christum in carne sua legem mandatorum abolevisse* subjecti, ut fit, no-

mine significans mortem, quam in eo Dominus tulit, ideo sequitur carnem idem esse, quod crucem. Tum fateor carnis Christi nomine in scripturis significari, non quidem crucem, quod Conciliator ariolatur; (quis enim id dixerit?) sed hujusmodi tamen naturam, quæ infirma sit. Id a nostris hominibus (quos hic Conciliator temere profecto, atque immerito accusat incogitantia) id inquam ab illis jam pridem accepimus, ex eo imprimis constitutum atque confirmatum, quod Apostolus id tempus, quod Dominus apud nos egit in forma servi, vocat *dies carnis ejus*; Vnde clarissime consequitur *car-* Hebr. 5. 7.
nem significare quidem *humanam Christi naturam*, sed eam tamen non simpliciter & absolutè consideratam, verum in certa quadam conditione, nimirum infirmitatis & humilitatis, constitutam. Sed si caro Christi infirma fuit, & passionibus ac morti obnoxia, an eo putandum est nihil ad eam pertinere summam illam, qua fuit ornata, sanctitatem? Itaque ut Conciliator totum hunc locum plene complecteretur, docere debue-

Phil. 3. 21.

rat corporis nostri geminam esse cum Christi corpore pro duplici ejus statu conformitatem; Ac posteriorem quidē olim in cœlis futuram, cum immortalis illa, quę jam refulget in gloriosissimo Christi corpore claritas, ea corporibus quoque nostris de pulvere suscitatis ac reformatis communicabitur; Priorem vero etiam locum habere in hoc sæculo, ejusque duas esse partes, quarum altera in rudimentis sanctificationis nostrę, (quatenus ea ad carnem suo modo pertinet) altera in perpeffione sita est calamitatum, atque ærumnarum, iis consimilium, quibus olim consecratum fuisse Dominum Iesum accepimus.

Cap. VIII.
Falsum esse et
periculosissimū
ciliator, nos
quod statuit Cō-
Christi corpori
inferi, antequā
simus Spiritus
participes.
Part 1. p. 42.
Ibid. 34. 35

Sed hæc leviora. Illud vero longe gravissimum, quod Conciliator corporealem hanc nostri cum Christo communionem (hoc est eorum malorum perpeffionem, quę Christi causa nobis infliguntur) primariam causam esse vult, per quam animæ nostrę fiunt Spiritus Christi participes; Quin & eos violati ac perturbati ordinis insimulat, qui hanc cum Spiritu Christi commu-

nionem illi cum ejus corpore commu-
nioni, seu natura, seu tempore ante-
ponunt, pertenditque omnem Euan-
gelicæ doctrinæ rationem reclamare,
atque exigere, ut corpori Christi ante
inseramur, quam fiamus Spiritus ejus
participes. Nō exagito, quod a perpes-
sione (quam carnem Christi dici vult)
transilit ad Christi corpus, quod est Ec-
clesia, quasi *inseri Christi corpori* idem sit
quod pro Christo crucem ferre. Illud
vero nonne absurdissimum, nonne
monstri simile est, quod statuit, & qui-
dem confidentissime, neminem Spiri-
tus Domini participem fieri, qui non
sit ejus corpori aliquanto ante tempore
insitus? Atqui disertissime pronunciat
Apostolus, non esse Christi, qui spiri-
tum ejus non habet. Ergone vel habe-
re Spiritum Christi censendus est,
qui non sit ejusdem particeps, vel Chri-
sti corpori insitus esse, qui tamen Chri-
sti non sit? Idem alibi docet nos eo
unum corpus esse, quod vno Christi
Spiritu potati sumus, palamque signifi-
cat nos ad hoc baptizatos esse Christi
Spiritu, ut corpus ejus simus. At si

Rom. 8. 9.

I. Cor. 12. 12. 13

1. Cor. 6. 17.

1. part. p. 63.

1. Cor. 6. 19.

Conciliatorem audis, jam antequam illo cœlesti rore perfunderemur, Christi corpus eramus. Quid? quod ait Apostolus qui cum eo copulatur vnum esse Spiritum cum eo? Qui pote, si Christo prius inserimur, quam ejus Spiritus participes simus? Nam nemo, credo, Christi corpori inseritur, qui non copuletur cum Christo. Iam si ei inserimur antequam Spiritum habeamus, certe eo saltem momento, quo nondum Christi Spiritum consequuti sumus, Domino adhæremus, nec tamen unus cum eo Spiritus sumus; Atque ita mentitus fuerit Apostolus. Neque minus Conciliatorem jugulant ea quæ consequuntur, in quibus, ut ipse confitetur, rationem subjicit Apostolus, qua unus cum Domino Spiritus sumus; nimirum quia Spiritus S. in nobis est, cujus adeo corpus nostrum templum est. Estne ergo quisquam corpus Christi, qui idem non sit templum Spiritus? Estne quisquam templum Spiritus, qui idem non sit Spiritus particeps? Tum, potestne quisquam aut Christo sine fide inseri, aut fidem sine Spiritu

Spiritu habere? Si prius dixeris, audi
 Apostolum de spiritali hac institutione
 sic differentem, *Alij quidem propter in- Rom. II. 20*
delitatem fracti sunt, inquit. Tu autem ^{23.}
FIDE stas. Sed & illi si non permanserint in
incredulitate, inserentur. Si posterius, audi ^{Ioa. 1. 13.}
 Iohannem, *qui credunt eos ex Deo natos esse* ^{Ioa. 3. 5.}
docentē. Sed ipse Iesus clamat neminem
 in regnum cœlorum introire posse nisi
 qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.
 Quid? Est ne extra regnum cœlorum
 (quod Ecclesiam esse Conciliator non
 nescit) qui Christi corpori insitus est?
 Equidem non nego nova Paracleti luce
 donari, novoque gratiæ augmento lo-
 cupletari, qui fideliter pro Christo de-
 certat, juxta illud Petri, *Si exprobramini in* ^{1. Petr. 4 14.}
nomine Domini beati eritis, quoniam qui est
honoris, gloriæ, & virtutis Dei Spiritus super
vos requiescit. Aliquem vero mortalem
 vel vere pro Christo pati, vel vere Chri-
 sto inferi nulla adhuc divini Spiritus luce
 perfusum, portentū est in Ecclesia inau-
 ditum, solaque Pelagii schola dignum.
 Quod vero Conciliator ex Augustino
 laudat, *Spiritum Christi non vegetare nisi cor-*
pore Christi, quid horsum facit? Quis- ^{1. Part. p. 35.}



quam ne nostrum est, qui asserat Spiritu Domini vegetari Satanae membra? Deus avertat tam impiam a nobis mentem. Longe aliud est, quod quaeritur; nimirum num quis esse possit in Christi corpore, antequam ab eius Spiritu excitetur atque vivificetur? Nos negamus, censemusque horum utrumque tempore quidem simul & semel contingere, natura vero hoc illo prius esse. Nam quamquam eo ipso Christi membra fimus quod eius Spiritu vivificamur, tamen si naturae ordo spectetur, cum Spiritus operatio nostrae in Christi corpus insitionis causa sit, necesse est ut ea priore loco consideretur. In ipsa quinetiam natura Socratis corpus non est verè & σωόνυμωσ nisi quod Socratis anima informat, ut vulgo loquuntur. Quamdiu non informat, si dicitur corpus Socratis, æquivoce & improprie dicitur.

Caput. IX.

3. Conciliatoris
erratum, qui
nulla ratione
Ioan. 6. de pas-
sionibus Christi
caussa & exem-
plo tolerandis
interpretatur.

Tertium Conciliatoris in hoc argumento erratum est, quod divinum illum sermonem, qui de carne Christi comedenda, sanguineque bibendo Ioannis VI. habetur, totum torquet in

alienissimum sensum, quasi Christo nihil aliud eo loco propositum fuerit, quam docere mortificationis suæ in carne nostra circumferendæ necessitatem, testatique sine hoc afflictionum cibo nulli vitam & salutem contingere. Itaque vult ille carnis & sanguinis vocabula significare crucem, & quæ Christi causa feruntur; ut *comedere carnem Christi, & bibere eius sanguinem* ex novo, planeque mirabili istius glossario sit *crucem Christi gestare, seu pro eo affligi*. Quin etiam innuit Capernaitarum & nonnullorû discipulorum animos turbatos fuisse, non quod orationem Christi absurdam esse aut impossibilem putarent; (quam fuisse istius scandali veram causam & res ipsa loquitur, & omnes hætenus interpretes consentiunt) sed quod delicatos homines, duraque & adversa pati nescios, iniecta de crucis necessitate mentio offendisset. Sed hæc primo nulla ratione dicuntur. Quid enim est in toto illo capite, quod tam duram, tamque longe petitam interpretationem suadeat? Meminisse hic noster debuerat se Conciliatoris, non Dictatoris munus

Part. I. p. 66.

Part 2. p. 137.
138. 139. 140.

Ibid. 138.

Ioa. 6. 52.



invasisse, neque plura nobis persuasurum, quam quæ ex certissimis Scripturæ testimoniis demonstraverit. At (inquit) Christi causa & exemplo pati id ipsum est carnis dominicæ fieri participem. Esto; (quamquam hæc sane significandi ratione multum inter se differunt.) Sed esto tamen. An etiam id ipsum dicetur *carnem Domini comedere*? Petrus quidem sic loquitur ut dicat, nos *divinæ naturæ participes esse*. Erit ne qui ideo putet dici etiam posse eodem sensu *nos divinam naturam comedere*? Paulus ait, qui Israelis hostias edebant *participes fuisse altaris*. An & hoc exemplo licebit dicere *altare istos edisse*? Non puto quemquam sic desipere, ut hoc velit. Cur igitur id sibi sumit Conciliator, ut quoniam *carnis dominicæ fieri participem* alicubi interpretatus est *pro Christo pati*, idem quoque significare iubeat *carnem Domini edere & sanguinem eius bibere*? Profecto magnum est inter ista discrimen. Fateor neminem edere, qui non sit eius, quod est, particeps. At non vice versa, cuius quis est factus parti-

1. Pet. 1. 4.

1. Cor. 10. 18.

Conciliator, non dicitur, non dicitur

ii D

ceps, id eum edisse necesse est. Ergo si qui pro Christo patitur carnis eius eatenus particeps factus est, non eo tamen illam edisse continuo dicendus erit. Itaque Conciliatori novis, iisque magnis & certis argumentis est opus ad hoc, ut probet *carnem Christi edere* idem esse apud Ioannem, quod crucem Christi ferre, eiusque caussa & exemplo adversa, & ærumnas ferre. At ille nulla plane attulit tam novæ tamque inauditæ sententiæ documenta. Eam tantum ponit, nobisque velut pueris dictat de pulpito. Quanto simplicius erat cum nostris hominibus, multisque Romanæ Ecclesiæ doctoribus, *edendi* vocabulum ad spirituales animi actum transferre, ut *edere datam pro nobis Christi carnem* idem iis locis significet, quod eam mente & fide percipere, atque apprehendere? Nam & hæc vocis istius translatio divinis scriptoribus familiaris est, & nos ad eam omnes loci illius circumstantiæ veluti manuducunt. Ac tropus quidem iste tam est in scripturis usitatus, ut vel ab ipsis Hebræorum magistris (quamquam

More Nevo-
ch. part. 1. c.
30.

Christianæ fidei infensissimis) fuerit observatus. Certe Moses, Maiemonis filius, illorum hominum longe doctissimus, tradidit ex eo quod in comedendi actione duo fiant (nempe & deletur eius quod comeditur forma, & animalis quod comedit vires instaurantur, natura atque facultates conservantur) ex eo inquam scripturam *edendi* uocabulum transtulisse ad duo quædam alia significanda, duobus istis, quæ comedendo fiunt, respondentia. Edere namque in scripturis interdum esse delere, perdere, atque excindere, quod ex priore edendi circumstantia fluxit; interdum vero eam mente animoque percipere quæ naturam nostram ab interitu vindicare, conservare, ornare, & perficere valent, quod ad alteram edendi proprietatem refertur. Vtriusque tropi obvia sunt in V. T. libris exempla, & posterioris quidem tum alibi, tum etiam in Proverbiis, in quibus quoties Sapiencia has voces usurpat clarum est & ab ipsis Hebreis observatum, doctrinæ cœlestis apprehensionem, & fidem intelligi. Cur ergo miremur, quod eadem illa Sapien-

tia eam dicendi rationem in novo Testamento usurpaverit, quam in veteri iam dudum erat sequuta? carnisque & crucis suæ fidem, qua hominum vita omnis, salus, atque perfectio maxime continetur, usitata pridem ac pene solenni metaphora expresserit? præsertim cum eam exposceret ipsa illa occasio, unde ortus est omnis hic Domini sermo? Cum enim Iudæi in terrenum panem inhiarent, Christus pro more suo rerum, quæ se offerebant, imagine ad cœlestē institutum abusus est, ductisque inde vocabulis elegantissime contexit divinam illam orationem, qua rudes istorum animos ad gratiæ suæ, rerumque spiritualiū studium traducebat. Quid quod ipse locus interpretationem non minus nostram flagitat, quam Conciliatoris respuit? Nā ille Dominicæ carnis esus, (de quo Ioannis 6.) huiusmodi est, qui salutem necessario efficiat; quod neque Eucharistiæ participationi, neque perpeffionibus pro Christi causa universaliter convenit; fidei veræ, etiam ex Conciliatoris sententia, perpetuo convenit. Tum & iis quos

Ioan. 6. 54. 56.

57.

Ioan 6. 33. 41.
47.

se ad salutem illum, de quo illic agitur, esum, liquet ex eommate 53. Iam illos, & sine sacramenti perceptione, & sine ulla pro Christi Evangelio passione, tam constat servari potuisse, quam sine fide nō potuisse certū est. Postremo Christus se ipse satis interpretatur, dum quæ esui carnis suæ trebuebat, eadem in ipsa illa oratione *fidei, sui que contemplationi* aliquoties tribuit. Sed controversias nunc quidem non scribo. Hæc satis superque evincunt frustra a suorū expositione discessisse Conciliatorem, nullamque fuisse causam cur novum illud, incredibile ac pæne prodigiosum interpretamentum maluerit.

Caput X.

Absurdam esse, que a Conc. cōstituitur, verborū Eucharisticorū interpretationem.

i. part. p. 66.

Is vero etiam gravius in eo mihi peccasse videtur, quod suum illud glossema in Eucharistiæ mysterium invexerit. Ac primum quidem eius hac in parte erratū fuit, quod omnem Christi orationem, quæ Ioannis 6. habetur, ad Eucharistiam pertinere supponit; quod cū a nobis negari sciat, probare, nō dictare debuerat. Alterū vero peccatū est, quod eā esse ait rationem verborū, quibus eucharistia instituta est, ut iis nihil aliud significetur, quā Dominicæ mortificationis in cor-

pore nostro circumferendæ necessitas. quod equidem qua ratione ipsa Christi verba ferre possint non video. Ea autem sic habent; *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Hic est sanguis meus, qui pro multis funditur* Quæro a Conciliatore quid sit hic *corpus & sanguis Domini*. Respondebit ni fallor, ex arcanis suæ disciplinæ, *corpus, & sanguinem Domini esse eius crucem, humilitatem, atque passionem*. At si ita est, Christum sic facit loqui, ut dicat *crucem suam frangi, & passionem fundi pro nobis*; quæ oratio vehementer absurda est, & monstri similis. Tum sic Domini verbis inducetur figura; quod Conciliator x. part. p. 31. explodit; certe videtur explodere. Nam & *corpus Christi pro cruce ejus dicere tropus est*; & id ipsum *corporis* nomen pani Eucharistico in eo sensu rursus tribuere, immane & inusitatum quoddam translationis genus est; ut jam nihil sit, quod iste Sacramentariis quos vocant, invidiam faciat, quasi ii soli Christi orationem figurent. Denique si hæc est Conciliatoris mens, quid sibi vult quod inter *νεῖας δόξας* Ibid. 43. fixit, quod alibi locis sexcentis inculcavit, panem & vinum Mosaici fœde-

ris elementa vere & reapse in carnem & sanguinem Christi esse immutata? Ergone panis Eucharisticus in crucem, aut passionem Christi reapse immutatur? Ista quidem transsubstantiatio plane nova fuerit.

Caput XI.

Quem ex Hieronymo Conciliator describit locum, videri Origenis, neque eum hujus esse sensum quem putat.

Ibid. 47.48

Hier. Com. 1. in ep. ad Eph. in 2. cap. p. 365.

Sed age Hieronymum audiamus, quem nobis Conciliator hac adyta referantem magna sane pompa inducit; præfatus vici illius dicta penitus esse animo infigenda, seriaque meditatione recolenda, quæ nimirum ipsum rei caput, omnemque abditæ hujus doctrinæ rationem continent. Tum ista ex Hieronymo subjicit: *Dupliciter intelligi sanguinem, & carnem Christi, illam videlicet spiritualem atque divinam, de qua ipse dixit, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, & Nisi manducaveritis carnem meam, & sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam æternam; vel carnem illam & sanguinem, quæ crucifixæ est, & qui militis effusus est lancea. Atque hæc quidem hætenus ex Hieronymi Commentatio I. in Epistolam ad Ephesios. Ego vero miror inprimis, quod Conciliator sententiam suam ex Patribus, quam ex scripturis illustrare*

& confirmare malit, cum hanc causam maxime apud nos agat, quos probe scit nihil in fidem admittere, quod non sit ex verbo Dei haustum atque perceptum. Tum addo, hunc ipsum locum pro splendida illa, quam pollicebatur luce, nihil aliud quam fumum, atramque caliginem fundere. Quid enim? Definire qui a fidelibus in Eucharistia sumitur panis eum esse passionem, & mortem Christi? Nihil minus. Tantum distinguit *carnis*, & *sanguinis Christi* homonymiam; Ea enim vocabula, vel sumi pro ipsa, quæ olim cruci affixa est, Christi carne, ipsoque qui de cruce fusus est, sanguine; vel pro re quadam spirituali atque divina usurpari, quam Christus eo loco intelligit, quo affirmat carnem suam vere esse cibum. Cæterum quænam sit res illa spiritualis, atque divina, quæ aliquando carnis dominicæ nomine significatur, ipsa ne Christi crux, atque passio, quod vult Conciliator, an Eucharistiæ panis, quo sane propendent veterum plerique, an quid aliud, de eo ne verbum quidem ille locus; Quo fit ut siquid inde in

rem suam extundere velit Conciliator, novis illi artibus, novisque glossariis opus sit. Atque hæc quidem satis sunt ad hunc locum isti eripiendum. Sed ut scias, quam leviter & inauspicato Patres tractet, addo incertum esse vere ne sit iste Hieronymi sensus, & locus; veroque videri propius, ut Origenis censeatur, quam Hieronymi. Ac prius quidem illud manifestum est. Nam cum Hieronymus profiteatur se in Commentariis non sua tantum, sed etiam aliena dictasse, Augustinoque succenseat, quod quædam ab ipso in Epistolam ad Galatas commentante prodita, tanquam scripta ex propria sententia accepisset; cumque Bellarminus notaverit, & vero res ipsa loquatur, in eo de quo jam agitur, in Epistolam ad Ephesios opere, plurima exotica haberi permixta ex Origenis, & Didymi, aliorumque lacunis; cum hæc inquam ita sint, quis liquido pronunciat Hieronymi ne, an alterius cujuscumque auctoris illa sint, quæ modo a Conciliatore laudata audivimus? Ego vero non dubito quin sint Origenis; eorum

*Hier. pref. ep.
ad Gal. & A-
pol. 2. ad ver.
Ruff. & ep. ad
Aug. que est
inter. Hier. ep.
89. Bell. T. 4.
1. de gr. primi
hom. c. 11. §.
Quarta.*

plane gemina, quæ ex ipsius in hanc Epistolam Commentario refert alibi Hieronymus. * Nam & istic carnem quamdam ponit a nostra hac diversam, eamque ait olim quidem visuram salutare Dei, nunc vero disciplinis erudiri cælestique pane saginari, & Christi sanguine irrigari. Quo loco clarum est Origenem per illam alterius generis carnem, novum hominem de Christo satum, atque prognatum intelligere, quem ille abolita olim carneæ, quam nunc gestamus, massæ substantia, in naturam mere spiritualem profuturum somniabat. Eam itaque carnem, spiritualem & divinam, carne quadam Christi, sed congenerere, & æque mystica saginari ait. Quid vero sit Origeni mystica illa Christi caro, mysticusque sanguis, non est obscurum. Nam alibi bibere nos ait Christi sanguinem, cum sermones ejus recipimus, in quibus vita consistit; parique ratione sanguinem Apostolorum interpretatur ipsorum verba, & fructum, quem ex eorū doctrina bibunt veri fideles. Alibi cū apud plebem Christianā verbū Dei prædicaret, Hoc quod modo loquimur carne sū verbi Dei, in.

Ad Pammach.
& Marc. Apol.
advers. Ruff.
p. 308. n.

Hom. 16. i.
Num.

Orig. in Num.
hom. 23.
in Math. hom.
36.

in Ioa. tom. 6.
Ibid. tom. 22.

in Ioa. tom. 22.
Ibid. tom. 32.

Ibid. tom. 32.

Hom. 7. in
Levit

Cpa. XII,
Augustini di-
ctis neq; iura-
ri Conciliatoris
commentum,

inquit. Et in Matthæū panis iste, quem Deus
verbū corpus suum esse fatetur, verbum est nutri-
torium animarum. Sic in Ioannem Dei ver-
bum ait nonnullis esse sanguinem propter illud,
Nisi manducaveritis, &c. Tum in eodem
opere institutionem Eucharistiæ ab iis
qui aliis & subtilius audire & accipere didi-
cerunt intelligi jubet ex diviniore, quæ de ver-
bo veritatis, quod vim alendi habet facta
est, promissione. Itaque per hanc Chri-
sti carnem ille Euangelium haud dubie
intelligit; per sanguinem aut Euan-
gelii sensum, aut sane fructum, qui ex
eo elicitur; quibus rebus novam cœle-
stemque fidelium vitam contineri, ne-
mo negaverit. Eadem ratione accipio,
quod ait alibi Origenes, Deum carnibus
& sanguine verbi sui tanquam cibo mundo,
ac potu potare & reficere omne hominum ge-
nus. Atque ex his jam, ut opinor
satis patet, quam nihil ad Conciliato-
ris commentum faciat ille tanto cum
apparatu adductus Hieronymi nomine
seu testis, seu mystagogus.

Ad Augustinum venio, quem iste
quoque invitum ac reluctantem sym-
mistam suam esse vult. Laudat ex eo

nobilem illum locum, in quo Christus sic discipulos alloquens inducitur, *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec bibaturi illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis, quod spiritualiter intellectum vivificabit vos.* Hæc Augustinus. Audio. Nihil disertius dici potuit, vel in Ecclesiæ Romanæ sententiam, vel in Conciliatoris nostri pronunciata, siquidem ea ex publico hodierni sermonis usu intelligantur, ut sane intelligi debent inter bonos. Negat Augustinus manducari a fidelibus (nempe ore corporis; nam de hoc certissimum est eum loqui,) quod olim a Capernaitis videbatur Christi corpus, negat bibi eum sanguinem, qui fusus est a militibus. Quid Conciliator? Ipse ne etiam id negat? Negat; plurimisque in eo est, ut demonstret ex Augustino, toto quod aiunt cælo aberrare, qui materiale illud Christi corpus, quod jam est in cælo, putant manducandum. Ego quidem illi gratulor istam mentem, longe ab ea aliam, quam præ se ferebat atrox illud XII. mysteriorum

*neque refellō
nostram sententiā
tiam.*

*1. part. p. 52. 53
Aug. in ps. 8.*

principium, Corpus & sanguinem Christi a fidelibus non anima duntaxat spiritualiter, sed corpore etiam corporaliter recipi. Sed tamen nondum video quid faciat hic Augustini locus ad id confirmandum, quod Conciliator in arcano sentit; nēpe id Christi corpus, quod Ioānis 6. mādu- cari a fidelibus dicitur, esse ipsā Domi- ni passionem, sive crucem. Nam neque id esse eo loco ab Augustino definitum palam est, neque vero definiri demon- strat Conciliator; imo ne conatur qui- dem demonstrare. Excurrit tantum in Euangelicos, quos eo Augustini dicto iuvari negat. Sed nunc non erat his locus. Iste nescioquid longe majus promiserat, daturum se testem, qui mysterium hoc suum totum nobis patefaceret, atque constitueret. Excus- tiamus tamen, quæ dicit in Euangelicos. Negat eorum mentem hoc Augustini testimonio iuvari. Quasi vero non sit aperta eorum mens, dum hoc tes- timonio utuntur, id confutare scilicet quod ponit Ecclesia Romana, Christi proprium esse corpus quod a fidelibus in Eucharistia ore sumitur. Atqui hoc

I. PART. P. 53.

hoc Augustinum evertere ipse etiam Conciliator non obscure significat. Sed ille tamen pugnat Evangelicorum quoque sententiam eo Augustini dicto refelli; Nempe illi volunt, inquit, quod hic diserte negat, manducari a fidelibus ipsum illud Domini corpus, quod crucifixum olim fuit. Levis ista & evanida contradictionis imago Conciliatori nostro miris modis illudit; ut in ea confectanda multum chartæ atque operæ perdiderit, sic interdum exultans, quasi actum de Evangelicis foret. Sed vide quam vanus sit omnis iste ejus triumphus. Augustinus (inquit) negat proprium, ac naturale Christi corpus a fidelibus manducari. Certe, si quod (faciunt ii, contra quos ille disputat) de manducatione proprie dicta intelligas, quæ ore, dentibus, atque faucibus corporis peragitur. Evangelici vero (inquit) aiunt verum ac proprie dictum Christi corpus a fidelibus manducari. Certe, si de manducatione intelligas improprie ac figurate dicta, quæ mente animoque peragitur, quæque nihil aliud est, quam Christum pro nobis crucifixum, vera fide

Ibid. p. 51.
54. ad 72.

complecti, ac in eo certa cum fiducia omnem salutis & vitæ causam quærere. Videsne jam ut nulla sit inter ista cōtradictio, cum non idem, sed plane aliud sit, quod hi affirmant ab eo quod ille negat? Cæterum & quod negat Augustinus Christi corpus naturale proprie māducari, hoc est ore corporis percipi, Evangelicos pariter negare clarum est. Sed neque illud obscurum, quod hi aiunt verum Christi corpus, si figurate loquaris, comedi, hoc est fide apprehendi & percipi, id quoque affirmare Augustinum. Imo non puto reperiri hominē Christianum, qui id neget. Augustini quidem certe has esse voces vel pueri sciunt, *Credere in Christum hoc est manducare vivum. Qui credit in eum manducat, invisibiliter saginatur. Primo fuderunt cum sæverent* (loquitur de Iudæis.) *Nunc biberunt cum crediderunt. Qui sanguinem ejus sæviendo fuderunt credendo biberunt.* Mitto alia sexcenta ejusdem generis; Ex quibus perspicuum est nobiscum non posse committi Augustinum, quin vna eademque opera secum ipse cōmittatur. Is enim, si quis alius, in hoc argumento plane

Aug. tract. 26.
in Ioa. tract. 1.
in ep. Ioan.
Id. tract. 8.
Idem habet
in Ps. 94

noster est, quod a reverendis viris Michaelle leFaucheur, & Edmundo Albertino luculentissimis de Eucharistia operibus novissime demonstratum est. Nam & panem esse Eucharistiam, esse Dominici corporis signum & figuram, eoque ipso illius corporis nomine dici, una nobiscum sentit Augustinus; significatque ad quod mysterium hoc refertur, id verum esse ac proprium Christi corpus, natum olim de Virgine, nunc in coelis ad dexteram Dei constitutum; non autem illud nescioquod sine substantia & mole, ex meris passionibus conflatum *corpus* vel *quasi corpus*, quod invisum & inauditum hactenus nunc demum Conciliator, velut ex Epicuri intermundiis, orbi nostro representavit. Sed eum fortasse hoc in Augustino fefellit, quod cum is in ipso dogmate nobiscum per omnia consentiat, interdum tamē paulo aliter exponit orationem a Domino habitam de carnis suæ esu, eamque ad Eucharistiæ Sacramentum refert, quæ & aliorum est nō paucorum ejusdem ævi scriptorum sententia; Itaque quam nos illic Christi

carnem proprie ac sine tropo dictam intelligimus, eam ille figurate pro Eucharistiæ sacramento accipit; & contra quam nos *manducationem* figurate accipimus pro spirituali mentis actu, ille de proprie dicta *manducatione* interpretatur. Hæc expositionis diversitas facit, ut Capernaitas aliosque qui utramque illam vocem, totamque adeo Christi orationem proprie, ac sine tropo intelligunt, aliter atque aliter conveniamus. Nam Augustinus quidem, qui istos in eo hallucinari ponit, quod carnem Christi proprie intelligant, merito eos, ut ab errore revocet, monet Christum loqui, non de illa carne, quæ oculis videbatur, neque de illo sanguine, qui postea militis lancea effusus est, sed de sacramento quodam spiritualiter intelligendo, id est de Eucharistia, quæ quamquam res sit terrena, & vilis, si materiam spectes, tamen mystice ac spiritualiter sic ut decet accepta, vim hanc habet, ut animos fidei in vitam æternam pascit. Sic omnino cum istis agit Augustinus; neque aliter potuit ex suæ interpretationis hypothesi. No-

bis vero, qui istorum errorem in eo maxime situm putamus, quod *manducandi & bibendi* vocabula proprie in Christi sermone accipiant, alia via incunda est, demonstrandūque ista de spirituali quadam & divina manducandi ratione esse intelligenda. Atque ita concidunt quęcunque Conciliator cōvasanda putavit, ut demonstraret nostram fidem ab Augustini mente in hoc argumento alienam esse. Nam illa omnia cum ab una methodi diversitate desumpta sint, qua in Capernaitas utrique utimur ad vindicandam sermonis Dominici veritatē, conficiūt quidem, quod ultro fatemur, locum illum Ioannis aliter ab Augustino, aliter a nobis exponi; nostram vero aliam esse, quam Augustini de Eucharistię mysterio sententiam, ne leviter quidem innuunt.

Sed jam ad Hilarium pergamus, Conciliatoris delicias. Ille nempe (quod ab Hieronymo jam pridem est observatum, Gallicano quoque cothurno attollitur), longisque interdum periodis involvitur, & a lectione simplicium fratrum procul est. Id vel locus a nostro allatus

i. part. p. 53.
54. ad 72.

Cap. XIII.

*Refelluntur
que de Hilario,
queque eius oc-
casionē in no-
stros dicit Con-
ciliator*

Hier. ep. 13.
quę est ad
Paulin.

Hilar. l. 8. de
Trin.

clamat, quo vix, dici quicquam potest
obscurius, atque impeditius. Piger
describere. Est enim valde prolixus.
Neque profecto necesse est, cum is
toti huic causæ non lucem, sed den-
fissimas tenebras inferat. Certe ne ip-
se quidem Conciliator quicquam ex
eo, ad sententiæ suæ explicationem ad-
ducit. Nos jubet tantum quæ Hilarius
de Christi & fidelium unione loquitur
ea suo sensu accipere; ac de cætero in
nostros more suo invehitur, homo a-
liena laceffere, quam sua confirmare
promptior. Primum enim molestè
fert, quod nostri monuerint Hilarium
fecius de Christi corpore sensisse. At-
qui hæc non nostra est, sed Claudiani
Mamerti, presbyteri Viennensis, viri
doctissimi, ante duodecim propemo-
dum sæcula denati, vetus sane, & vera
obseruatio, *Hilariū Pictauum inter complu-
rapræcelsarum disputationum suarum duo hæc
vero aduersa differuisse; Vnum quod nihil in-
corporeum creatum dixit, aliud nihil doloris
Christum in passione sensisse; cuius (inquit
Mamertus) si vera passio non fuit, redemp-
tio quoque nostra vera esse non potuit. An*

† I part. p. 83.
84.

Claud. Mam.
de St. an. l. 2.
c. 10.

vero is error nihil delibet de omnimoda corporis Dominici cum nostro conformitate, lectoris esto iudicium. Sed contendit Conciliator Hilarii dicta commode a nobis explicari non posse. Ea vero cum a nostris diligentissime, luculentissimeque fuerint explicata, actum agam si quid in his operæ posuerō. Quod sumit Conciliator * nul- lam nos aliam nostræ cum Christo communionis rationem concedere, præter eam quæ a fide, mentisque & voluntatis sensu atque affectu oritur, id vero falsissimum esse satis liquet ex superioribus. Neque enim quisquam nostrum negat suam quoque esse fidelium corporibus cum Christi corpore conformitatem, atque unionem, in eo (ut diximus) sitam, quod caro nostra, pro suo sane modulo, iisdem quibus caro Christi disciplinis eruditur, eadem cruce exercetur, eadem castitate atque sanctimonia imbuitur, iisdem sacramentis obsequatur, ejusdem vitæ atque immortalitatis nunc quidem candidata, olim etiam compos in cælis futura. Hæc illa est nostra cum Chri-

De Euch.
I. part. p. 79.

80.

Albert. p. 194.

le Fauch. l. 8.

de Euch. c. 6.

* I. part. p. 8.

* De Euchar.
p. 264.

sto *naturalis unitas*, quam dicit Hilarius, quamque *voluntatis unitati* opponit. Nimirum fatēte ac definiēte ipso Perronio Cardinali * *naturalis unitas* Hilario est duorū in uno quodā tertio conveniētia, quod reale aliquid sit, vel ex substātiā, vel ex accidentiū genere, quodque vere & univoce iis insit, quæ dicuntur unita; quæ descriptio ei, quam modo adumbravimus, nostræ cum Christi carne unitati ad amissim convenit. Atque ex his satis ni fallor intelligitur, quam frustra laboret Conciliator, dum studet demonstrare nostram Hilariani sediti expositionem non collineare ad auctoris scopum. Scopus ejus est (quod res ipsa loquitur) Aranorum argutiam refellere, qui omnem Filii cum Patre unitatem in una animorū coniunctione, voluntatūque concordia constituebāt. Iam posito quod iidem non largiebātur modo, sed etiā ultro affirmabant, Filii cū Patre uninatē ejusdē esse generis cū ea, quæ nobis est cū Christo, quis a sūpta ea, quā modo cōmemoravimus, nostræ cū Christo unitatis descriptione, nō intelligit existis confici aliā ergo esse Filii

cū Patre unitatem, quā quæ fingebatur ab hæreticis? Nam cum illa ut diximus, nostri Christique conionctio in novæ cuiusdā naturæ, proprietatūque & cōditionum, quæ eam constituunt, unitate fita sit, profecto necesse est vel ex ipsa Arianorum hypothesi, ut Filius cum æterno Patre unus sit, non consensu modo & voluntate, sed ipsa etiam natura, & attributis, quæ naturam consequuntur.

Sed hic Conciliator aliam nostros infectandi occasionem captat. Nam cum Hilarius Eucharistiam inter cætera nostræ illius cum Christo unitatis argumenta afferat, affirmetquæ hanc acceptam atque haustam efficere, ut nos in Christo, & Christus in nobis sit, nostri hoc eius dictum interpretantur ex communi Patrum sensu; Sic enim eos statuere, ex divina benedictione atque institutione vim quandam admirabilem inesse huic Sacramento animos erigendi atque consolandi, corpora ipsa sanctificandi, & omnia denique corporis & sanguinis Dominici effecta representandi. Conciliator hanc nostrorum observatio-

Cap. XIV
Vindicatur nostrorum observatio de Patre circa rē Eucharisticam hypothesi a calumnia, & reprehensione Conciliatoris.

i. part. p. 87.
88. 89. 90. 97.
98. 99. 100.

nem arripit, mirisque modis exagitat; Narrat novam esse; suspicatur a Cameronem primùm ortam, discipulisque traditam; tum eam iactat innumeris incommodis esse obnoxiam; Hilarii menti, atque disputationi adversam: denique *commentum esse, piorum Patrum doctrina prorsus indignum.* Hæc ille, quæ quamquam a præsentis causa aliena excutere tamen, paucisque refellere libet, quod ea neque veritati, neque caritati Christianæ consentanea esse videantur. Primum quod suspicatur doctissimum Cameronem hujus (ut ille quidem falso & contumeliose loquitur) *commenti* auctorem esse, frustra ac temere facit. Nam si (quod ab eo assumptæ personæ ratio flagitabat) accurate versatus esset in utriusque partis libris; si suorum saltem de religione commentarios atque disputationes diligenter evolvisset; profectò comperisset viginti minimum annis ante natum Cameronem iam extitisse inter Evangelicos illam de Patrum sententia observationem, quippe quæ disertissimis verbis expressa habetur in Diallactico de Eucharistia, quod anno

superioris seculi 57. publicatum est, & quidem (ut creditur) ab Antonio Cooko, Eduardi Angliæ Regis præceptore, & Consiliario intimo. Is enim postquam Eucharistiam corporis Domini figuram esse, eoque & nomen eius sortiri ex Patribus demonstravit, *Alterum* (inquit) *etiam diximus, quod veteres Patres agnoscentes in hoc sacramento vere dominicum corpus esse voluerunt. Est autem virtus ipsius corporis efficax & vivifica, quæ per gratiam & mysticam benedictionem cum pane & vino coniungitur. Inde Eucharistiam corpus Domini dici, quæ ratione Baptista Helias dictus est, quoniam Helia virtute præditus fuit. Mox Patrum quædam edisserens, Sensus est* (inquit) *panis & vini substantiam effici corpus Christi propter virtutem ipsius corporis eis a Spiritu sancto subministratam. Quod vero subjicit Conciliator id commentum esse, probandum ipsi erat, non dictandum. Non enim si ea sententia, quæ tribuitur Patribus, nonnullis est incommodis obnoxia, continuo sequitur eam Patrum non esse. Nam quis nescit, quam multa illi constituent, quæ non paucis neque levibus incommodis urgentur? Tu mihi*

Diallact. p. 56

p. 60. a

narras absurdum esse & incredibile, ut corporis Domini virtus in Eucharistiam infundatur. Atqui non jam quaeritur an id absurdum sit, necne. Quaeritur tan sic senserint Patres. Illi vero clamant se in ea esse sētētia. Theophylactus; συγκαταθέσθαι ἡμῖν ὁ φιλαίθρως τὸ μὴ εἶδος ἄρτου καὶ οἴνου φυλάττει. εἰς δύναμιν δὲ σαρκὸς καὶ αἵματος μεταποιχοῖ. Sic Bertramus ea quæ cernuntur, non in specie, sed **IN VIRTUTE** corpus & sanguinem Christi existere ait & corpus quidem pascere secundum visibilem creaturam; mentes vero fidelium & pascere & sanctificare, iuxta potentioris **VIRTUTE M substantiæ**. Elias Cretensis, Nazianzeni Scholiastes; Deus ad infirmitatē nostrā se demittens, propositis rebus vivificā vim immittit, atque eas ad carnis suæ operationem transfert. Atque huius loci is plane geninus est, quem ex Leontio Eutholio * refert Turrianus, eumque sensum (ut ego quidem existimo) uterque hausit ex veteri alioquo Patre. Hoc quidem scio, in Græco Victoris Antiochen in Marcum commentario manuscripto hæc eadem, quæ modo ex Elia & Leontio retulimus, iisdemque verbis expressa legi:

Theophyl. in
Marc 14.

Berr. de cor.
& sang.
Dom.

in x. ora. Gre-
gor Naz sect.
161.

* Exstat apud
Card. Perr. tr.
de Euch. p. 971.

συγκρατισάμενος ὁ Θεὸς ταῖς ἡμετέροις
 ἀσθενείαις ἐνίησι τοῖς ἀσθενήτοις δυνάμιν
 ζωῆς, καὶ μεθίστησιν αὐτὰ πρὸς ἐργεῖαν τῆς
 ἑαυτῶ σαρκὸς, ἵνα εἰς μέθεξιν ζωοποιὸν ἔχω-
 ρῶν αὐτὰ ἕοῖον σῶμα ζωοποιὸν ἐν ἡμῖν εὐ-
 θῆ τὸ σῶμα τῆς ζωῆς. Hic est Epiphani-
 i sensus, quo loco ait ἐν χειρῶ ἰσχυρο-
 ποιῆσαι πλὴν δυνάμιν τῆς ἀφ' αὐτοῦ. Idem The-
 odoti, viri longe antiquissimi, ubi ait pa-
 nem εἰς δυνάμιν πνεύμα πικλῶ μεταβάλλε-
 σθαι. Hæc & alia eiusdem generis sex-
 centa, quæ passim apud Patres occur-
 runt, Conciliator expendere debuerat,
 antequam tanto cum supercilio pronun-
 ciaret eam sententiam falso tribui Patri-
 bus. Sed neque verum est, quod postre-
 mo subiicit, innumeris eam incommo-
 dis esse obnoxiam. Iam ostendimus
 quam non pugnet cum Hilarii mente.
 Quod vero interrogat Conciliator,
 quænam illa Domini virtus sit, quam
 Eucharistiæ mysterio infundi credide-
 runt Patres, facilis est responsio. Quis
 enim ignorat, quæ sit corporis sangui-
 nisq; Domini in ara crucis ab æterno
 Spiritu oblatis vis atque efficacia, ad ex-
 pianda peccata, sanctificandos animos

Epiph. in Pan-
 dextr. expos.
 fid p. 1098. B
 Theod. in ex-
 cerpt.

i. part. p. 91.



miserorum mortalium, eosque rotos
 divini spiritus gratia perfundendos, &
 quod ex eo consequitur, cœlo & vita
 sempiterna donandos? Hæc illa virtus
 est, divina sane atque admirabilis, quam
 Patres nostro iudicio Eucharistiæ inesse,
 Christi benedictione atque institutione
 infusam, arbitrantur. Sed disputator acu-
 tus colligit, aliquid ergo materiale de
 ipsa Dominici corporis mole defluere
 in ipsam panis & vini substantiam; quod
 ipsi, neque sane immerito, vehementer
 absurdum videtur. Ego vero vix credo
 quemquam fuisse è Patribus tam crasse
 de hoc mysterio philosophatum. Hoc
 certo scio plæraque ac pene omnia eo-
 rum dicta sic posse accipi, ut omnis ab-
 surdissimæ isti consequentiæ præcluda-
 tur via. Nimirum illa agendi vis, quæ
 rebus tribuitur, nō est omnis unius, eius-
 demq; generis. Causarū enim alię natu-
 rales sunt, quæ vi quadam insita, atq; in-
 hærente agunt, sive illam rebus ordina-
 ria ac naturali via, sive aliquo extra na-
 turæ ordinem miraculo indiderit Deus;
 qualiter & ignis urit, & vinum inebriat,
 etiam illud, quod Christi voluntate ex

x. patt. ip. 97.

aqua mirabiliter factum est in nuptiis
 Cana. Sed & est aliud caussarum genus,
 quas *morales* dici nihil vetat. Eæ verò non
 aliqua vi sibi intærente, sed mera eius,
 qui eas instituit potentia atque virtute,
 effecta sua edunt; qua ratione olim Ior-
 danes Naaman Syrum lepra purgavit,
 massa ficuum Ezechiam letali morbo
 laborantem sanavit, Christi sputum
 lumina cæco illitum restituit, oleum Marc 6. 13.
 denique ægros ab Apostolis inunctos
 curavit. Quo etiam referri possunt illa
 tam multa, quæ in vita communi quoti-
 die peraguntur certis quibusdam ritibus
 ex civili instituto adhibitis. Nam illa
 quidem in confesso est hæc tam stipenda
 effecta designasse, non vi ulla, quæ ipsis
 inesset, aut a natura, aut aliunde indita, sed
 solo Domini, qui eis utebatur, nutu. At-
 que hæc duo caussarum genera, quam
 inter se diversa sint, nemo non videt.
 Sed tamen quod par sit in utriusque ef-
 ficacia, neque minus certo quam physi-
 cæ opus suum designent illæ *morales*
 causse, quantumvis (si earum natura
 per se spectetur) vi & virtute omni cas-
 sã; hinc est quod promiscue, nulloque

Vasq. in 3.
Thom. Tom.
2. disp. 132. n.
77.

pene discrimine de utrisque loquamur;
quod etiam a Gabriele Vasque, non
ignobili Iesuita, observatum est. Itaque
& moralibus causis, non minus quam
physicis inesse virtutem, atque effica-
ciam, dicimus & effecta, quæ legiti-
mum earum usum consequuntur, non
aliter ipsis attribuimus, quam si vi ali-
qua earum physica edita essent. Ergo
cum & Eucharistia & alia religionis sa-
cramenta in hoc genere censeri de-
beant, ad istum modum intelligenda
sunt, quæcumque de eorum vi atque
efficacia seu Patres, seu alii auctores
commemorant. Panem Eucharistiæ
affirmant in carnis Dominicæ virtutem
mutari. Quid? Illi ne putarunt omnem
illam naturalem agendi vim, quæ in
materiali Christi corpore inest, in pa-
nem physicè transfundi, quo modo
ignis calor in aquam admotam transit?
Apage tam insanam cogitationem.
Pene iurarim hoc unum istos voluisse,
habere hoc a Domini instituto Eucha-
ristiam, ut quisquis eam rite ac legitime
usurpat, omnia illa consequatur, quæ
Christi caro & sanguis Patri in sacrifi-
cium

ciumoblata humano generi quæsi-
 runt; nimirum peccatorum remissio-
 nem, pacem, & sanctificationem, ac cœ-
 lestis denique immortalitatis ius atque
 hæreditatem, quo sensu, neque ab simili 1 Cor. 10. 16
 phrasi dixit Paulus illum Christiano-
 rum panem communicationem esse
 corporis Domini. Eadem est ratio cæte-
 rorum, quæ apud Patres plurima in hanc
 sententiam de Eucharistia dicta legun-
 tur. Id vero Conciliator cum animad-
 vertere aut non potuerit, aut certe no-
 luerit, turpissime est hallucinatus, isti de
 Eucharistia hypothese ea absurda tri-
 buens, quæ ex ea consequi nemo nisi
 imperitissimus dixerit.

Cap. XV.

Atque ita expendimus quicquid Quæ sit Conci-
 liatoris de sacri-
 ficio Christiano-
 rum senten-
 tia, quamque a
 Romane Eccle-
 siæ fide aliena.
 Conciliator de Eucharistiæ Sacramento
 aut pro se, aut in nos dixit, quod sit qui-
 dem alicuius momenti. Alteram de
 sacrificio quæstionem leviter attingit.
 Quamquam autem difficillimum sit ex
 istius fumis lucem eruere, liquidoque
 percipere, quodnam tandem sit illius ut
 sic dicam, sententiæ corpus, quam iste
 tam variis modis involvit, tamen haud
 obscure innuit id quod ab Ecclesia Chri-

x. part. p. 107
2. part. 264.
267.

Christiana offerri vult sacrificium nihil aliud esse, quam spirituales ac Evangelicum cultum, quo fideles ex Pauli præcepto defunguntur, dum Patri sua corpora cū laude & gratiarum actione offerunt, quæ afflictionibus consecrata ipsa Christi caro ex istius hypothese facta sunt. Hinc explicanda tria eius de hoc argumento pronuntiata: Nam quod ait in primo hoc esse verū & proprium Christianorum sacrificium, id ad legem Moysi referre eum palam est, quod eius, quæ Deo nunc exhibemus, patriæ umbras & figuram tantum habuerint veterum sacrificia. Id vero Christi corpus, quod secundo capite & sumi a fidelibus, & ipsum quoque Deo offerri decernit, passionibus scilicet Christi causa & exemplo exantlatæ, quas iste mysticam & Christi, & fidelium carnem indiget. Quod postremo in tertio articulo de sacrificio redemptionis nobis applicandæ garrit, id quoque ad crucem Evangelicā pertinet, quam unam esse ad eundem cælestis hæreditatis rationem ille ubique sancit. Vnde patet istum non minus in hoc quam in priori capite ab Ecclesiæ

Romanæ sensu discedere. Quis enim
 eam nescit iam a multis sæculis credere, Concil. Trid.
 novissimeque Tridenti, patrum nostro- Sess. 22. c. 1. &
 rum memoria constituisse ipsum illud, 2.
 quod in cælo est Christi corpus sacer-
 dotum manibus sub panis vinique spe-
 ciebus Deo immolari, istudque sacrificiũ
 vere esse propitiatorium? quin & iis ana-
 thema dixisse, qui id laudis tatum & gra-
 tiarum actionis sacrificium esse putant?
 Atque ita evolutis & explicatis novæ
 philosophiæ mysteriis, apparet totâ ista
 Conciliatoris ratione nihil in hoc qui-
 dem argumento vel editum esse hæte-
 nus, vel etiam fingi posse in posterum
 absurdius, aut ad concordiam ineptius.
 Amabo enim quod est tandem istius cõ-
 silium? quæ mens? quis animus? Vultne
 in ista ambigüæ orationis caligine per-
 petuo delitescere? an vero in lucem ali-
 quando prodire, & utrique parti sua illa
 arcana pãdere, bonaque fide exprome-
 re, quid in singulorum doctrina aut
 damnet, aut probet? Prius quidem il-
 lud tutius videtur, Mediatorisque ratio-
 nibus opportunius. Sed id tamen si facit,
 perit istius quam molitur conciliationis

Cap. XVI
 Absurdam &
 vanam esse om-
 nem Concilia-
 toris rationem.



omnis spes. Nam neque harum, neque illarum partium homines credibile est in ulla verba consensuros, quorum non ante explorata, perspectaque sententia fuerit; quique aliter fecerit eum non modo stultum, & vacordem, sed etiam improbum & impium esse necesse est. Quid enim aliud fuerit huiusmodi conciliatio, quam turpissima quædam, Deique & hominum fide indignissima collusio? Pax illa, quam Deum Christiani omnes poscimus, longe aliud est; animorum, non verborum, unitas; mentis, non linguæ, consensio; non ut easdem voces, vel nullo, vel diuerso sensu, edamus, sed ut eandem omnes veritatem arcano ipsius pectoris affectu colamus. Illa enim pfitatorum fuerit, aut picarum concordia; hæc hominum, maxime Christianorum. Ac Romanæ quidem Ecclesiæ eum esse de istis sensum, tum ipsa mihi humanitas persuadet, tum etiam multo magis ea quam proficitur Christianæ pietatis ratio. Evangelicorum vero (quorum ego mentem ac sensum haud paulò clarius certiusque mihi perspexisse videor) neminem futurum scio, qui duodecim illa

Cōciliatoris mysteria vel auribus modo
 admissurus sit, quādiu ea sine ulla inter-
 pretationis luce, isto (ut sic dicā) verbo-
 rum, quibus expressa sunt, velo cooper-
 ta, atque involuta obtrudentur. Quod si
 Conciliatori hæc mens est, ut utrique nō
 in verba modo sua, sed in sensa quoque
 conveniāt (quod est profecto ad veram
 unionem necessarium) tum non modo
 difficilis, sed plane impossibilis est illa,
 quam molitur reconciliatio. Ipse pronū-
 ciat ineptam esse omnem eam pacis ra-
 tionem, quæ utrique parti displicet. At
 dubitari non potest quin sit huiusmodi
 illa quā proponit ratio. Nam quod per-
 tinet ad Evāgelicos, ex iis quæ supra dis-
 putata sunt, satis liquet, quam inane sit,
 quod iste falsa spe præceptum singulis
 pæne paginis jaëtat, neminem deinceps
 inter eos fore, qui sua illa XII. mysteria
 non sit comprobaturus. Atqui tanta est
 istorum in omnibus fere apicibus absur-
 ditas, atque importunitas, ut non putem
 reperiri vel unum Evangelicum, qui ea, si
 intelligit, nō respuat, atq; execretur. Sed
 si vel ii essent Cōciliatoris sensus, quos
 Evangelici probare possent, non ideo ta-

I. part. p. 40.

men illa quoque verborum ac phrasium portēta essēt admissuri, quibus iste mentē suam potius texit, atque involvit, quā expressit aut aperuit. Hęc enim constās est ipsorū disciplina, ab Apostolis Christi tradita, ab illo, quem iste tā opere laudat, Augustino luculentissime commendata, ut sibi nefas putēt apud proximum (maxime ubi agitur de religione) ulla uti simulatione, ulla ve ambiguae aut æquivocæ orationis fraude. Aperte ac simpliciter agunt, & quod Christi discipulos decet, bona fide. Ut falli nolunt, ita fallere nesciunt. Minime cupiunt suā de religione sententiam latere, vel perperam ab hominibus accipi, ac si ea esset quæ non est. Sanctius ac reverentius habent proximos, (maxime qui sunt in magistratu ac dignitate constituti) quā ut iis imponere fas putent. Omnem istam mentis occultandæ artem usque adeo asperrantur, ut nihil studeant impensius, quam sensa animi candide, sine fūco & dolo exprimere. Conciliator quidem tantum non gloriatur, quod hominibus Ecclesiæ Romanæ imposuerit, visusque sit in suis illis duodecim pronuntiatis cum iis sentire. Nobis longe

alia mens, quorum si quis vel imprudens adversarium ambiguo vocis ita forte fefellerit, reum se quodammodo existimabit, neque conquiescet, donec hominem errore liberaverit. Putamus nimirum hypocrisin esse, alium videri velle, quam sis. Quæ cum nostra sit simplicitas dicam an infantia, non est profecto, quod speret Conciliator se ullis glossis, aut commentariis effecturum, ut eam orationem probemus, quæ aliena a mente nostra vel sit, vel certe videri possit. Sed fac nos (quod non est) in istam vafritiem consentire posse; ne sic quidem quicquã promotum fuerit. Nam altera pars, eaque potentior restat; quam ne ipse quidem Conciliator, quantumvis somniorum suorum amans, vel sperare, vel dicere ausit suæ sententiæ, simul eam intellexerit, accessuram. Qui negant se vel in levissimis religionis apicibus errare posse, ii scilicet, ut isti obsequantur, Pontificis Romani monarchiam, & Eucharistiæ transsubstantationem ac sacrificium, præcipua fidei suæ fundamenta egeraturi sunt; & quæ plurimorum Conciliorum canonibus sancita, & innumeris doctorum hominum disputationibus defensa

summa vi retinuerūt, ea cōversis repēte animis dimissuri sunt. Atqui longe aliū fore totius negotii exitum palam est; Nam ubi amplissimi, gravissimique viri sibi verba ab isto fuisse data perspexerint, omnemque eius sententiam plane aliam esse, quam quæ videbatur; quis non intelligit Conciliatoris conatum, ut nihil gravius accidat, irritum certe in auras cessurum? Quod ipse non obscure metuit. Nunquam enim aperte prodit, quid illud sit quod in Romana fide damnat; cumque nos passim liberrime reprehendat, nonnumquam etiam insectetur satis contumeliose, alterius partis homines plane aliter habet, suamque ab illis dissensionem strenuè dissimulat: neque ullum ex illis erroris insimulat, nisi cuius sententia suos habet etiam in illa cōmunionē adversarios. Intelligit enim homo non imperitus simulatque patefacta fuerit sua ab illis dissensio, eos se ipsos infensos infestosque habiturum, quos iam experitur propitios. Itaque difficile est dicere, quod sit viri in eo conatu cōsiliū, cuius ipse satis novit nullum esse posse, nisi tristem & calamitosum exitum; ut quidam non immerito suspicari videantur.

tur, eum partes nō tam inter se se, quam sibi cōciliare velle, illis quidem verba ac linguam, his sensus ac mentem accommodando.

Sed jam ad cætera pergamus. Nam Conciliator ad quæstionem de justificatione accedit; quæ una vel maxime Christianum orbem commovit. Eam iste insigni sane temeritate pronunciat nihil aliud esse, quā inanem *λογομαχίαν*. Quid vero dici potuit aut in homines ambarum partium contumeliosius, aut a rei ipsius veritate magis alienū? Nam si hæc stat, non jam Conciliatoris, sed Censoris sentētia, summam eorum fuisse amentiam necesse est, quotquot hætenus ex utraque parte de hac quæstione tanto istudio, tantaque animorum contentione disputarunt. Stulti, si isti credimus, fuerunt & Melanchthon & Hofius, & Bucerus & Groperus, & Calvinus, & Soto, & Piscator & Bellarminus, innumerique alii doctrinæ, & sapientiæ nominibus summo semper apud suos loco, & numero habiti, qui de umbris scilicet & voculis, tanquam de re totius religionis pœne maxima, decertarunt. Iam de Tridentinis quid

CAP. XVII.

Quæ de iustificationis controversia assertit

Conciliator ea contumeliosa esse & falsa.

i. part. p. III.

dicam ? Quam immanis ex istius iudicio, eorum fuit vel vācordia, si capere non potuerunt verba esse & sonos quicquid de hoc articulo inter nos controvertitur, vel certe crudelitas, qui quos intelligebant non re, sed verbis tantum à se dissentire, eos ipsos ob tantillum errorem tot diris anathematismis feriendos, dejiciendosque putaverunt ? Quod si Conciliator sententiam illam suam tam novam, tamque in utramque partem contumeliosam, aliqua saltem rationum & argumentorum specie constitueret, ferenda forsitan esset hominis confidentia. Nunc veluti de tripode sua nobis oracula profatur; satisque habet, quicquid hodie est in Europa Christianorum insanix & stuporis damnare, qui puerorum instar de verbis digladiantur: nihil addit quo tam crassum eorum errorem coarquat. Tantum pollicetur aliquando se editurum perpetuum in Epistolam ad Romanos commentarium, eoque omnem hanc controversiam planissimam facturum. Nemo unquam isto promisit liberalius. Cæterum dum exspectamus, quid sit præstiturus, mo-

nitum eum velim, ne controversiarum statum ipse sibi pro libidine fingat, sed ex iis constituat, quæ inter utriusque partis homines disputantur. Neque enim, quod iste vult, id inter nos aut tantum, aut maxime quæritur, quid sit ejus iusticiæ nomine intelligendum, qua coram Deo justificari dicimur. Alia est hujus controversiæ materia. Nam & hoc imprimis quæritur, quidnam illud sit, cujus ratione atque intuitu in foro Dei a reatu & pœnis absolvimur. Id enim unam esse Christi satisfactionem, unumque meritum, hinc quidem affirmant Evangelici, illinc vero negant Romani doctores, qui & fidei operibus suam in eo iudicio partem esse contendunt. Vnde necessario consequitur altera illa controversia, num id quo justificamur coram Deo, inhæreat nobis, quod volunt adversarii; an vero, quod nos defendimus, una nobis Dei gratia imputetur. Et ex his porro nova oritur de fide quæstio, qua ratione ea nos apud Deum justificet, an ut opus quoddam, an vero ut conditio novi fœderis; quorum illud placet adversariis, hoc nobis. *Quis ergo non*

videt, etiam sublatâ omni de *justitiâ* vocabulo controversia, ista tamen adhuc superesse disputanda? quæ si Conciliator probare possit nihil aliud esse, quam verba & sonos, haud equidem abnuo, quin is pro summo Christianæ pacis arbitro ab omnibus habeatur.

CAP. XVIII.

Ludicrum esse quod proponit Conc. de sanctorum invocatione.

Ibid. p. 121.

122.

Consimili strophâ eludit, quod de Sanctorum invocatione controvertitur. Hanc enim litem inde ortam fingit, quod non conveniat de illa beatitudine qua jam apud Deum fruuntur cælo recepti piorum Spiritus, sit ne ea omnium omnino eadem, an vero diversos habeat gradus, sitque in aliis major, in aliis minor. Quasi vero obscurus sit hujus controversiæ status, ut ejus origo tam longe repeti debeat, & quidem a re de qua inter nos aut nulla, aut levissima est controversia. Sed audiamus quid pronunciet Conciliator; *Si liqueret (inquit) Sanctos cælo receptos jam preces nostras exaudire, vel etiam cogitationes nostras animum eorum aliquacumque ratione subire, tum demum sane sicut velut fratribus, ac in eadem causa positis deferretur illis pro nobis interpellandi officium, nihil dum illis saltem eo tribueretur,*

Ibid. p. 125.

quod gloria Christi deoget, vel quod eos constituat loco Dei & Christi. Hæc ille, diserte sane, & sapienter. Quis enim dubitat, si quod obscurum est liqueat, de eolitem nullam fore? Nemo est qui religionum Conciliator esse non possit, si ad hoc satis est hujusmodi pacis conditiones proponere. Pugnatur de sanctorum invocatione. Nos inanem esse totum hūc cultum contendimus, quod neque certum sit sanctos preces nostras audire, neque fas eos tanquam dominos, ac patronos compellare. Adversarii utrumque hoc affirmant, eoque sanctos invocant, & certa quadam religionis specie venerantur. Mediator ait si utrumque id, de quo pugnamus, liqueat, litis commode dirimendæ spem fore. An vero id liqueat nec ne, cæteris quærendum relinquit. Atqui & ego sic possem nullo sane negotio, reliquas omnes controversias explicare. Nam verbi gratia si liqueret Petrum fuisse Ecclesiæ Christianæ monarcham, ejusque dignitatis hæredem reliquisse Romæ Episcopum, tum demum sane si velut legitimo Petri successori id muneris tribuatur, nihil eo Christi gloriæ

atque majestati derogaretur. **Annō**
hæc præclara est, & plane singularis
pacis inter Christianos constituendæ

Cap. XIX. ratio.

Mirifica Con-
ciliatoris ratio
in dirimenda de
mortuorum sta-
tu, deque pre-
cibus, pro iis con-
troversia.

Ibid. p. 127.

Ibid. p. 120.

Fateor Conciliatorem in altera con-
troversia de fideiū statu post mortem,
majus aliquid præstitisse. Nam ille
quidem ignes subterraneos, qui plæ-
rorumque fidelium manes excoquere
& purgare dicuntur, gnaviter neque o-
bscure exstinxit, dum pronunciat spi-
ritus in manum Dei depositos *suavissi-
mo gaudio, & pace quietissima frui*. Sed an id-
etiam pronūciatū pro suo agnitori sint
Ecclesiæ Romanæ doctores, ego sane
vehementer dubito. Cæterum quo ip-
sos, credo, solaretur, placatosque ha-
bere posset, ita sententiam suam tem-
peravit, ut quamquam præcipuum ea-
rum precum fundamentum subverte-
rit, quæ pro mortuis fundi solent, ip-
sas tamen preces retinendas putet.
Quin adeo liberaliter agit, ut Christia-
nis concedat, non modo pro quibus-
dam mortuis, ex Ecclesiæ Romanæ usu,
sed omnino pro omnibus precari, qui
quidem in fide Christi de sæculo decef-
serint. Nam pertendit fas esse eos

omneis Deo precibus commendare, qui nondum adepti sunt ultimam illam gloriæ, atque immortalitatis lauream, quæ nobis est in secundo Christi adventu reposita. Quam cum nondum ullus ex sanctis consequutus sit, necesse est profecto, si nostrum audimus, omnes omnino qui decesserunt in fide, precibus nostris Deo commendare; etiam Patriarchas, etiam Apostolos, etiam Martyres, etiam beatissimam Virginem. Atque hic mirari subit Conciliatoris solertiam. Nam cum videret nos pro nullis mortuis, adversarios pro quibusdam precari, ille ut dirimeret hanc litem omnino pro omnibus precandum decrevit; quæ conciliandi ratio plane nova est. Quod vero causatur eum fuisse priscorum usum, id equidem fateor, indeque esse non nego eas, quas adversarii etiam hodie retinent, precandi formulas, qualis illa est quæ a Conciliatore commemoratur; *Memento Domine servorum tuorum, qui requiescunt in somno pacis.* Sed siquid veteres usurpavisse demonstratur, non eo conficitur id ipsum quoque

in usu retinendum. Nam neque ipsa antiquitas suis erroribus caruit, quos si ætas sequens paulatim abdicavit, ac veluti sepelivit, non est quod in iis revocandis perdamus infœlicem operam. Nobis Dominus Scripturam voluntatis suæ testem, fidei nostrę normam dedit, ad quam exigenda omnia hominum seu veterum, seu recentiorum dogmata. Cum itaque nusquam in ea aut præceptum, aut traditum inveniamus, ut preces pro fidelibus mortuis fundantur, sive omnibus (quod vult Conciliator) sive quibusdam tantum; (quod malunt adversarii) equidem non video quid causæ sit, cur vel hic vel ille usus a nobis exigi debeat, tanquam pars quædam Christianæ caritatis.

PARS



PARS ALTERA, DE

NATURA ET GRATIA,

atque his annexa Præ-

destinatione.



TQVE hic quidem nobis conquirere licebat, cum omnis, quæ superest, Conciliatoris de natura & gratia disputatio, ad scindendam potius, quam ad unendam Ecclesiam apertissime pertineat. Est enim de altissimis, & obscurissimis quæstionibus, in quarum agitatione videtur iste non tam conciliandarum partium rationes exponere, quam nonnullam subtilitatis & acuminis laudem captare voluisse. Sed tamen cum eum in hac maxime operis parte id studere animadverterem, ut nostris conflet invidiam, putavi me operæ pretium facturum, si hoc quo-

CAPVT I.

[Huius partis occasio, argumentum, partitio. Conciliatoris rationes esse absurdissimas]

que, quicquid id est, a nobis amolirer, atque depellerem; ostenderemque, quo ad brevissime fieri poterit, omnem hunc istius conatum, non modo iniquum & temerarium, sed etiam inanem, atque irritum esse. Nam cum omnia in toto Conciliatoris opusculo nova sint, atque peregrina, & a communi fere sapientum sensu atque usu abhorrentia, tum hæc pars in primis est mirabilis. Ac principio nonne illud stupendum est, quod cum cæteri omnes a facilioribus incipiendum, atque ex iis, quæ nota sunt, & apud utrosque recepta, ea quæ cadunt in controversiam explicanda & definienda esse putent, hic contra totius Theologiæ longe difficillimam, maximeque controversam de prædestinatione questionem, velut clarissimum certissimūque patefaciendæ veritatis, & expediendæ pacis principium constituit? Huc accedit, quod cum reliqui Conciliatores partium offensionem vitare soleant, hic noster contra in utriusque partis homines magno & libero impetu irrumpit, eosque non perstringit mo-

do, sed figit atque confodit, quantum
 quidem in ipso est. Nam velut sedens
 in Dictatoria sella, omnes citat, quot-
 quot haecenus in utraque parte de pre-
 destinatione aliquid commentati sunt,
 excussisque singulorum opinionibus,
omneis in aliquo errore versari pronunciat; ² P. pag. 34.
 neminem intanto numero reperiri, qui
se se ex falsarum hypotheseon salebris expedi-
re, aut quod postulat veritatis defensio presta-
re possit. Ac ne quid desit ad summam
 modestiam, continuo unum se esse pro- Ibid. p. 35.
 fitetur, qui quod caeteros omneis mor-
 tales latuit, id plane exploratum, atque
 perspectum habeat; qui communis om-
 nium erroris fontes aperturus, igno-
 tamque & nescioquo puteo alte defos-
 sam, atque abditam haecenus verita-
 tem, in clarissima luce locaturus sit.
 Quod si hominis dictis facta respon-
 derent, beatos nos putarem, gratulan-
 dumque seculo nostro censerem tam
 singulare istius ingenium. Sed cum
 rimor singula, & diligentius considero,
 quid hic promissor tanto hiatus dignum
 tulerit, video datum nobis pro claris-
 sima luce spissum & contortum fumum

fusosque pro certa illa veritate, cuius apud istum sola personat pollicitatio, plurimos eosque crassissimos, ac periculosissimos errores. Non excusiam omnia. Quid enim necesse est, aut quæ iste jactat in adversarios, aut quæ profundit de naturæ ac gratiæ fœderibus ab ipsis mundi primordiis, tamquam catechumenum instituat, repetita, aut quæ postremo in caput 9. epistolæ ad Romanos, longo sed inutili sermone commentatur, quid inquam opus est ista omnia, tam a nostra causa aliena, expendere? Tantum ea tractabo, quæ ad amoliendam, quam iste nobis creat invidiam, in hoc de prædestinatione capite, necessaria videbuntur: quod ubi absolvero, tum Censoris nostri præcipuos aliquot, maximeque insignes errores detegam.

Caput II.
*Dissensionem in
 his capitibus &
 frustra, & falso
 nostris a Conci-
 liatore objici.*

Itaque concedo in primis, unde Conciliator omnem in nos invidiam arcescit, id nostros omneis unanimi consensu docere, atque profiteri; eximia quadam, planeque singulari Spiritus sancti gratia fieri, ut quam cæteri homines inexcusabili mentis errore averfantur

atque respuunt salutarem Dei in Christo benignitatem, eam fideles admittant, atque amplectantur, sicque ad beatam immortalitatem perveniant. Sed & de altera hominum parte summam itidem esse inter nos consensionem perpendo. Omnes enim pariter agnoscimus, quotquot ex mortalium genere pereunt, eos merito suo, nulla Dei optimi maximi culpa perire. Tertio neque illud diffiteor, maximas hinc existere difficultates, quod iis qui merito suo pereunt mortalibus, non est a Deo indulta singularis illa gratia, cujus unius vi, atque efficacia servantur, quotquot servantur: nostrosque cum id explicare, & a carnis objectionibus atque cavillis vindicare conantur, interdum aliter atque aliter loqui de tantis mysteriis. Quod vero inde colligit Conciliator, nos circa hoc questionum genus non vacare a concertationibus, primum hoc frustra dicitur. Nam ii apud quos nobis ea ratione invidiam conflare studet, multo majores, multoque plures de hoc argumento inter suos questiones agitari & sciunt, & patiuntur. Nemini est igno-

i. p. pag. 140.

109.



tum quanta utrimque animorum contentione de *auxiliis, præmotione physica & de prædefinitionibus*, omnis Dominicanorum & cæterorum Thomistarum familia cum Iesuitarum fœdalitio iam annos propemodum quinquaginta confligat. Sed neque est undequaue verũ, quod de nobis affirmat Conciliator. Nam cum ante annos 18. ex omnibus pæne nostrorum Ecclesiis coacta Dor-draci in Batavis Synodus totam hęc de natura & gratia, deque libero hominis arbitrio, & Dei prædestinatione quæstionem diligentissime definierit, singulasque ejus partes, quatenus nec esse est, fuscæ & acurate persequuta sit, omnes quotquot sumus harum partium Evangelici illius Synodi definitionem summa per Dei gratiam animorum consensione sequimur, atque tuemur. Nam & quod primo capite explicatum est, credimus omnes & docemus, æternam & immutabilem fidelium electionem mero Dei beneplacito niti, non ulla eorum, qui eliguntur, præ aliis dignitate, eamque factam esse agnoscimus non ex prævisa fide, fideique obedi-

tia, aut alia aliqua bona qualitate & dispositione tamquam causa, seu conditione in homine eligendo prærequisita, sed ad fidem, fideique obedientiam, & sanctitatem. Neque quisquam nostrum est, qui pariter non admittat, quod in secundo articulo constitutum est, cum Christi mors unica sit pro peccatis victima abunde sufficiens ad totius mundi peccata expianda, eius tamen vivificam & salvificam efficaciam se se in solis electis exerere, ut ii & omnes & soli per eam efficaciter redempti sint. Neque vero nostra minor est de duobus sequentibus capitibus consensus, quorum altero definitum est hanc, quam a primo Adamo traximus, naturam sic penitus esse ab ipso ortu vitiatam, atque corruptam, ut simus inepti ad omne bonum salutare, propensi ad malum, iræ filii, carnis & peccati servi, ac denique huiusmodi, qui ad Deum sine Dei Spiritu & gratia redire nec volumus, nec possumus; altero vero constitutum, salutarem hominis ad Deum conversionem fieri per supernaturalem Spiritus sancti operationem, eamque tam potentem ac ef-



ficacem, ut in quorum cordibus admirando hoc modo operatur, ii omnes certo, ac infallibiliter credant, atque regenerentur. Postremo & ea omnes credimus, quæ de quinto capite in illa Synodo explicata sunt, tantam esse salutaris gratiæ vim, vt eam quisquis semel a bono Deo accepit, numquam postea vel totaliter, vel finaliter amittat; certam adeo esse vere fidelium perseverantiam, & quæ ex ea necessario consequitur, salutem ac vitam. Hæc & alia consimilia in illa Synodo definita, quæ omnia sigillatim referre non est nostri instituti, verissima, verboque divino consentanea esse omnes credimus; neque ullus est, quod equidem sciam, qui inter nos aliter doceat. Itaque cum manifestum sit quinque istis capitibus abunde contineri quicquid umquam est ab Ecclesia, aut ab aliis de Dei gratia & prædestinatione disputatum; qui de istis conueniunt eorum profecto, si qua superest de hac eadem questione dissensio, eam levissimam esse, nulliusque plane momenti necesse est. Augustinus quidem certe, ille

Pelagianismi triumphator, ad asserendam gratuitam prædestinationis gratiã sufficere pronunciat, si quis statuatur *gratiam divinam nullis hominũ meritis præveniri.* Quod cum non modo concedant, sed etiam arcte teneant, acurateque defendant omnes nostri, insuperque in multis aliis ad eandem quæstionem pertinentibus conveniant; siquid est aliud in quo dissentiant, id teste ac iudice Augustino, plane esse extra hanc causam censendum est; quippe quæ tota in iis sita sit, de quibus nulla inter eos lis est.

De bon. per-
fect. c. 19. & 20.

Sed videamus tamen quæ nam tandem illa sint quæ Conciliator hic ventilanda putavit nostrorum hominum de hoc articulo dissidia. Eorum (inquit ille) qui sententiam de singulari gratia tuentur, alii quidem negant, alii vero affirmant Deum velle omnes homines converti, Christumque pro omnibus datum. Tum qui affirmant, eos in duos rursus ordines dividit; priorem eorum esse, qui aiunt omnes ad Christum vocari ea vocatione, qua salus & vita illis in Christo offertur, modo in eum credant; alterum eorum, qui Deum apud

Cap. III.

De Dei voluntate, Christi que morte, si rem ipsam specte, summam esse nostrorum consensionem.

2. p. pag. 7.

Ibid. p. 10.

electos patris partes agere volunt, apud ceteros tantum Legislatoris. Sed ego mox cum bono Deo ostendam quam nihili sit tota hæc dissensio; si prius monue- ro posse Conciliatorem, quem ultimi- mum facit nostrorum hominum ordi- nem, eum expungere, sibi que adeo cõ- ciliandi laborem minuere, quem quo plus fuerit dissidii & sectarum, eo mayo- rem quoque futurum patet. Quos e-

Ibid. p. 34.

nim narrat Christi Euangeliũ in legem Mosis transformare, docereque Deum patris personam deponere, legislatoris induere, ii inquam apud nos quidem certe, nulli sunt. Nec si Calvinus olim,

Calv. l. de Præ-
destinCam. Resp. ad
op. viri docti

c. 15. p. 227.

228. 229. 230.

aut Camero nuper legislatoris similitu- dine in hoc negotio usi sunt, eo Evãgelii ingeniũ mutasse putãdi sũt. Nemo enim istis melius, certius, & copiosius docuit, quæ sit ejus natura, quæ in eo Dei ad ho- mines $\sigma\chi\epsilon\iota\varsigma$. Tantum ista similitudine adũbrare studuerunt eam ratione, qua Deus humano generi salutarem do- ctrinam promulgaverit, nimirum cun- ctis in commune (quæ sunt legislatoris partes) significando, quod sit ipsorum of- ficiũ, quæque apud se parata obediẽtibus misericordia, ut per eum non stet, quo

minus illi credant atque obsequantur. Caterum præterquam quod externa illa Evāgelii prædicatione aures omnium pulsat, singularem quamdam Spiritus vim in electorum cordibus adhibere, qua interior animi auris purgatur, & perfoditur ad vocem illam, quæ foris personat penitus admittendam; quæ peculiaris agendi ratio specialem patris in liberos favorem magis refert, quam communem legislatoris in subditos providentiam. Hæc vero non aliquorum est, ut fingit Conciliator, sed omnino omnium apud eos sententia. Itaque unum tantum superest divisionis iugum, duos illos priore loco positos complectens ordines, unum eorum, qui negant Deum velle omnes homines converti, Christumque, pro omnibus & singulis passum; alterum eorum, qui utrumque affirmant, addita hac conditione, modo ii credant. Equidem non inficior in nostrorum disputationibus observari posse aliquā huiusmodi diversitatem. Sed eam ego omnem, quantumque est, in verbis non in rebus sitam esse, nec tam ad ipsum dogma, quam ad dogmatis tradendi rationem perti-

Synod. Dord.
 Art. 1. can. 1.
 & 2.
 Ioan. 3. 16. &
 4. 9.

nerede defendo. Ac ut intelligere possit
 Conciliator, quam frustra se hac in par-
 te fatiget, rem ita se habere breviter hic
 demonstrandum putavi. Principio il-
 lud inter nos constat Deum longe aliter
 cum hominibus egisse, quam cum An-
 gelis lapsis. Cum enim hominum, perin-
 de ut dæmonum, genus in peccato, &
 maledictione relinquere, ac propter
 peccatum damnare citra cuiusquam in-
 iuriam posset, tantam fuisse clemen-
 tissimi Domini in miseros homines ca-
 ritatem, ut Filium suum unigenitum in
 mundum miserit, ut omnis, qui credit
 in eum, non pereat, sed habeat vitam
 æternam. Sed neque de eo quisquam
 apud nos ambigit, quod est inter omnes
 Christianos in confesso, præstitam a
 Christo in cruce satisfactionem tanti ef-
 fe valoris, & precii, ut expiandis omniū
 omnino hominum peccatis abunde
 sufficiat. Neque uero ab ulla nostrūm
 negatur Christi sponsione, futurique
 olim sacrificii contemplatione factum
 esse, ut Deus orbem terrarum, homi-
 numque in eo genus, quod alioquin illi-
 co delendum fuerat, conservari post ad-

missum peccatū, eoque quo jam est statu perseverare passus sit. Vnde hoc (quod omnes quoque pariter confitentur) evidentissime consequitur, admirabilem illam, quæ omnium ubique gentium oculis exposita patet, cœli elementorumque & cæterarum mundi partium naturam, & eam providentiam, qua hoc uniuersum regitur, fovetur, & conservatur, testari Dei optimi maximi summam esse non modo potentiam & sapientiam, sed etiam benignitatem, atque (ut sic dicam) placabilitatem; eoque homines ad tãti numinis timorem, amorem, & cultum invitare, tacitã quidem oratione, sed tamen huiusmodi, quæ merito reddat ἀναπολογίτους, quicumque eam aspernantur, veritatemque ea ratione revelatam in iniustitia detinent. Tum verò & illud est apud nos extra omnem controversiam positum, verbum Dei non tantum disertius, & luculentius pietatem ab iis ex-
 poscere, qui ejus luce perfunduntur, sed etiam solum esse Spiritus S. ministerium, potentiamque ad salutem. Iam & hoc omnes nostri confitentur, Deum

Confess. Eccl.
 nostr. art. 1.
 & 2.
 Catech. Do-
 min. 4. resp. 1.

Synod. Dord.
de 3. & 4. cap.
art. 9.

serio, verissimeque ostendere verbo suo, quid sibi gratum sit, serioque etiam omnibus ad se venientibus, & credentibus requiem animarum, & vitam aeternam promittere. Itaque & illud quoque apud nos constat, quod homines in infidelitate atque impoenitentia pereunt, id non fieri ullo vel hostiæ a Christo in cruce oblatae, vel divinæ vocationis defectu, atque insufficientia, sed mera ipsorum culpa. Nempe si secuti essent, quo vocabat Deus, & peccatorum remissionem, & beatam exinde immortalitatē, utramque Christi sanguine atque obedientia credentibus partam, ipsi quoque consequuturi erant. Quod cum plane aliter accidat, illud postremo omnes concedimus, peccare homines gravissime, qui Creatoris ac Domini optimi lucem, cujuscumque ea generis, aut modi fuerit, præter jus, & fas detestabili animi errore fastidiunt; tanti adeo criminis manifestos merito, & iis, quæ Deus jam dederat, spoliari, & iis, quæ benignissime adjecturus fuerat, ipsoque tandem Christi regno excludi.

Cap. IV
Nostrorum de

Atque ita de re ipsa, quam his ar-

ticularibus abunde expressam, atque consti-
 tutam nemo non videt, summa est inter
 nostros consensus. Verba vero quibus
 in hoc argumento utuntur, ea demum
 non esse apud omnes, imo ne apud
 singulos quidem, perpetuo eadem con-
 cedo. Nam qui omnes de hac con-
 veniunt, qua res tota continetur, Dei
 cum hominibus œconomia, aiunt tamē
 aliquando iidem, nonnunquam etiam
 negant, velle eum omnes homines ser-
 vari, Christumque pro omnibus mor-
 tuum. Sed diversitatis ratio aperta
 est, eaque jam abunde a præstantissimis
 Theologis explicata. Nimirum duobus
 modis dicitur *Dei voluntas*. Significat
 enim Dei vel *εὐαρεσίαν*, vel *εὐδοκίαν*,
 hoc est vel id quo delectatur Deus, quod
 que jubet; vel id quod se facturum, aut
 certe permissurum decernit. Cum negāt
 nostri Deum velle omnes servari, de
 hac posteriore intelligunt; Cū aiunt, de
 priori. Nam neque vel negant Dominū
 hominibus etiam incredulis edicere,
 quid ipsorum sit officii, eoque si præsti-
 tum foret delectatum iri; vel affirmant
 decrevisse iis se daturum fidem, qui

*Dei voluntate
 verba quidem
 esse diversa;
 mentem vero
 eandem; quod
 allatis multo-
 rum testimoniis
 probatur.*

pp. 13

T. 3. de Præd.
 l. 7. c. 6 §. 9. 8.
 & seqq.

Evangelium respuunt. Quod si Conciliator in nostrorum libris, ut par erat, versatus esset, hanc distinctionem apud doctissimum Chamierum didicisset. Is enim ubi de Pauli loco disputat, quo Deus dicitur velle omnium salutem, Sunt (inquit) qui distinguentes singulorum genera a singulis generum, dicunt Deum velle omnes salvari, id est omne genus hominum, quia nulla sit apud Deum distinctio Iudæi, & Græci, liberi & servi, divitis & pauperis, maris & fœnicæ. At nolle tamen salvari omnes, nempe eundo per singulos, ita ut nullum individuum omittatur; quo modo dicimus omne animal fuisse in arca Noe, etsi verum fuisse duntaxat ex omni specie quedam. Alii omnes reduplicative explicant, vult omnes salvari, qui salvantur, quia nemo salvatur præter eius voluntatem. Sic dici possit, Hic magister docet omnes pueros hujus civitatis, non quod omnes omnino doceat, sed quia nemo doceatur, nisi quem ipse doceat. Sed harum distinctionum neutra videtur accommodata. Nam & durum est illud 2. Petri 3. nollens ullos perire, fletere ad genera singulorum, & illud certe Ezechielis 18. non vult Deus mortem peccatoris, cum mors non possit considerari in generibus singulorum,

Singulorum, sed in singulis generum. Sed & Pauli institutum (cum scilicet 1. Tim. 2. dicit Deum velle omnes salvos fieri) seorsum abit. Iubet enim orari non pro singulorum generibus, sed pro singulis generum. Argumento sunt reges, & πάντες οἱ ἐν κόσμῳ pro quibus sigillatim Ecclesia orat pro variis temporibus & locis; exempli gratia pro Nerone, tum cum hac Apostolus scriberet. Non est vero bona ratio, Orate pro Nerone, quia Deus vult aliquos Imperatores salvari. Altera aequè impingit in easdem rationes. Nam quid infantius quam si dicas, Deus non vult aliquos perire eorum, qui servantur? non vult mortem peccatoris, quem vult servari? Orate pro Nerone, quia Deus vult servandos servari. Itaque acquiescimus distinctioni voluntatis in εὐδοξίᾳ & εὐαγγελίᾳ. Primo, quia est a Scripturis. Deinde quia nihil habet, non congruum locis, qui obijciuntur. Nam & bene orandum pro Nerone; quia vult Deus voluntate illa εὐαγγελίᾳ, quæ actionum nostrarum regula est, omnes servari; & patiens est Dominus expectans ad penitentiam, quia gratior ei est conversio, ideoque & salus peccatoris, quam damnatio; & denique non vult mortem peccatoris eodem modo. Nam & Ezechiel usus est

H

verbo $\gamma\epsilon\eta$ quo significatur non simpliciter
 velle, sed acquiescere alicui rei, delectari, de-
 siderare. Itaque LXX. etsi plurimum reddunt
 $\beta\acute{\upsilon}\lambda\epsilon\alpha\theta\alpha\iota$, $\epsilon\theta\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\iota\nu$; tamen etiam $\epsilon\pi\iota\theta\upsilon\mu\epsilon\iota\nu$,
 $\epsilon\acute{\upsilon}\chi\epsilon\alpha\theta\alpha\iota$, $\epsilon\acute{\upsilon}\delta\omicron\kappa\epsilon\iota\nu$, $\mu\acute{\epsilon}\lambda\eta\nu$ $\epsilon\nu\gamma\kappa\epsilon\iota\theta\alpha\iota$, $\epsilon\rho\acute{\alpha}\nu$, $\acute{\alpha}$ -
 $\gamma\alpha\pi\acute{\alpha}\nu$. Hæc Chamierus, qui & eodē refert
 eorum solutionem, qui distinguunt vo-
 luntatem signi, & beneplaciti. Ex recen-
 tioribus vero Guilelmus Thvvisus vo-
 luntatem Dei aliis quidem verbis, sed
 eadem mente distinguit; Aliam enim
 esse vult præcipientem, aliam decernentem;
 qua distinctione jam antea usus erat
 Ioannes quoque Camero $\acute{\omicron}$ $\mu\alpha\kappa\rho\epsilon\iota\tau\eta\varsigma$
 in sua cum Tileno collatione, Est (inquit)
 voluntas Dei qua decernit & statuit, &c. Sed
 & est voluntas, qua Deus, vel præcipit simpli-
 citer aliquid fieri, vel ita etiam ut ea re, quam
 præcipit, insuper delectetur. Vnde liquet
 quam hi decernentem vocant, $\epsilon\acute{\upsilon}\delta\omicron\kappa\acute{\iota}\alpha\nu$;
 quam præcipientem $\epsilon\acute{\upsilon}\alpha\rho\epsilon\sigma\tau\acute{\iota}\alpha\nu$ esse
 Chamieri. Hac distinctione adhibita
 conciliari & possunt & debent quæcum-
 que apud nostros in speciem pugnan-
 tia leguntur. Verbi gratia, quod ait
 Calvinus, mirum esse Dei amorem erga ge-
 nus humanum, quod omneis velit esse salvos,

L. 2. p. 164, a.

Collat. cum

Til. p. 98. 99.

ultroque pereunte in salutem colligere paratus sit, id inquam de voluntate evāgelicā accipiendum est. Nam ipse statim subji- Calv. in 2.
Petr. 3.
cit non fieri illic mentionem de arcano consilio, quo destinati sunt reprobi in suum exitium. Quomodo etiam alibi ait Deum vere pronunciare se nolle mortem peccatoris. Quomodo? inquit. Nempe quia vult omneis ad se converti. Tum, Eorum salutem velle merito dicitur, ad quos dirigitur vox ista, Venite ad me & convertimini. Idem alibi: Deus (inquit) nihil magis cupit, quam ut quicumque peribant, & ruebant in mortem, redeant in viam salutis. Et hac etiam de causa non modo hodie Euangelium promulgatur in mundo, sed omnibus seculis voluit Deus testatum esse, Id. in Ezech. 18. 23.
quam propensus sit ad misericordiam. Nam profani, quamvis lege & prophetis carerent, tamen semper gustu aliquo hujus doctrinæ fuerunt præditi. Verum quidem est suffocatam fuisse multis erroribus; sed reperiemus semper arcano impulsu fuisse adductos ad petendam ueniam, quia hic sensus quo dammodo ingenitus illis erat, Deum esse omnibus, qui ipsum quærūt, placabilem. Cæterum clarius id Deus in lege, & Prophetis testatus est. In evangelio autem scimus quam familiariter nos compellet, ubi promittis

H ij

nobis veniam. Et hæc est scientia salutis amplecti misericordiam ejus, quæ nobis in Christo offertur. Sequitur ergo verissimum esse, quod nunc dicit Propheta, Deum nolle mortem peccatoris, quia occurrit sponte, & non tantum paratus est excipere eos omnes, qui ad ejus misericordiam confugiunt, sed alta voce ipsos ad se revocat, cum videt quasi alienatos esse ab omni spe salutis. Atqui notandus est modus, quo Deus vult omnes salvos fieri, nempe ubi se converterint a viis suis. Deus ergo non ita vult omnes salvos fieri, ut discrimen omne tollat boni & mali; sed præcedit veniam pœnitentia. Tum paulo inferius; Tenemus itaque nunc Deum nolle mortem peccatoris, quia omnes indifferenter ad pœnitentiam vocat, & promittit se paratum fore ad eos recipiendos, modo serio resipiscant. Denique hæc subjicit; Deus vult æstimari ex verbo suo. Quemadmodum jam dixi Propheta hic non disputat subtiliter de consilio ejus incomprehensibili, sed vult tenere sensus nostros, quasi alligatos verbo Dei. Nunc quid in se continet sermo Dei, hoc est lex, prophætæ, & Euangelium? Nempe omnes vocari ad pœnitentiam, & illis promitti spem salutis, ubi resipuerint. Hoc verum est, quia meminim ex peccatoribus, qui resipiscunt,

repudiat; quin potius sine exceptione omnibus ignoscit; sed interea non obstat hæc Dei voluntas quam in verbo suo proponit, quin decreverit ante creatum mundum, quid factururus esset de singulis hominibus. Hactenus Calvinus Wolfgangi Musculi idem sensus, tum alibi, tum his in Ioannem locis; *Vt nemo est mortalium (inquit) qui non sit mundi hujus a Deo dilecti portio; ita nemo est ad quem non peritneat ista dilectio, nisi sit qui incredulitate sua se ipsum ab ipsius beneficentia excludat. Tum; Quamquam non salvatur per Christum universus mundus, talis tamen voluntas Dei his nobis verbis (Ioa. 3. 17.) proponitur & cõmendatur, quæ sit non ad perdendum, sed ad salvandum universos. Sic Paulus I. Tim. 2. dixit. Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire Et in Propheta; Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Ista nobis dilectio, voluntas, & hoc consilium Dei simpliciter absque ulla curiosæ perversigationis temeritate amplexanda, nec temere, ut impii solent, disputandum est, Si voluit salvare mundum per unigenitum suum, quis nam prohibere queat, ne id fiat, & cur major pars mortalium pereat atque ipso etiam Christo teste, multi sint vo-*

Muscul. in
Ioa 3. 16 p. 71.
med.
Ibid. p. 72.
extrema.

cati, pauci electi. *Secreta Dei iudicia nobis non sunt attingenda, nisi quatenus per Spiritum Dei ad edificationem revelantur. Sed hoc inconcussa fide retinendum, nolle Deum mortem mortalium, sed ut convertamur & vivamus, ideoque Filium suum in hunc mundum misisse, ut per illum salvemur.* Vnde satis liquet, non de arcana, sed de patefacta Dei voluntate istum loqui, id est non de *eudoxia*, sed de *euprosia*; Quo & illud pertinet, quod paulo ante constituebat, quod deus dicitur diligere homines, eorumque conversionem velle, eo significari Deum talem esse, cui placeat quod *instum & pius, discipulat quod iniquum & impium.* Sic etiam interpretenda sunt Calvini, * Benedicti Aretii, Bullingeri, Bucerii, † Hyperii, aliorum similia loca, in quibus affirmant velle Deum servari aut omneis, aut eos qui tamen non servabuntur. Sic etiam egregius scripturarum interpres Rob. Rolocus, *Deus vult (inquit) omneis homines salvos fieri. Vult inquam salutem etiam reproborum, quia salus creaturarum in se res bona est. Verum non decernit eam, imo vero decernit mortem ac perniciem eorum.* Sed nemo est Hieronymo

Ibid. p. 70.
paulo ante
fin.

Calv. inst. l.

3. c. 14. §. 17.

& in Ez. 18 33.

Aret. in Tim.

2. 3.

Bull. in matth.

23. 37

Buc. in Rom.

2. 4.

* Hyper. in

Col. 1120. 23.

Rol. in Rom.

p. 178.

Zanchio in eam rem disertior, *Quaedam* (inquit) *Deus vult simpliciter & absolute citra* *ullam conditionem, ut simpliciter voluit mundi* *creari, regique vult. Item simpliciter & abso-* *lutè voluit Filium mitti, & hominem fieri, &* *pro salute electorum mori; & simpliciter vult* *omnes electos servari, & eorum nullum perire* *ac proinde hæc omnia fiunt, & quin fiant im-* *pediri non possunt, &c. Quaedam vero vult* *conditionaliter, ut omnes homines servari, si* *velint legem implere, aut in Christum credere,* *& juxta hunc sensum quidam illud Apostoli* *interpretantur, quod est 1. Tim. 2. 4. proinde* *quia nō omnes præstant conditionē, idcirco non* *omnes servantur, & voluntas hæc Dei non sē-* *per impletur. Ita fit ut una appelletur volun-* *tas absoluta, quæ semper fit: altera conditio-* *nalis, quæ non semper fit; & utraque variis* *etiam nominibus a diversis Doctoribus appella-* *tur. Prior illa absoluta in scholis appella-* *tur voluntas beneplaciti, &c. Idem ali-* *bi, Deum, inquit, vocare etiam reprobos, &* *mandare ut ad se veniant, salutemque illis* *promittere, si velim in Christum credere, ma-* *nifestum est. Omnes enim vocat per verbum,* *& omnibus promittit vitam æternam, modo* *in Christum velint credere. Atque hæc est*

H iij

Hier Zanch?
T. 2. l. 3. de
Nat. Dei. c.
4. q. 3. in ex-
plic th. art. 2.

Id. T. 3. in de-
puls. calum. de

Præd. not. 16.
Id. eod. Tom.
in conf. exhi-
bita Senat. Ar-
gentin. de
Præd. in th.
de Dei vol.
th. 16.

*voluntas conditionalis. Eundem tamen Deum
nolle absolute & simpliciter, ut omnes veniant
& serventur manifestum est etiam, quia si sim-
pliciter hoc vellet, etiam fieret. Denique ne-
gat eos damnari posse, qui spectata revelata
Dei voluntate docent & Deum velle omnes ho-
mines salvos fieri, & Christum pro salute om-
nium hominum mortuum esse, & neutrum
velle peccatum, cum hæc omnia sint verissima
Postremo ne sim in re clara sine ne-
cessitate prolixior, idem recentiorum
sensus; Aio (inquit Camero) non pugnare
ista, Deus omnium indiscriminatim conversio-
nem vult, voluntate nempe qua iubet aliquid
fieri, quaque eo, quod iubet, delectatur; &
Deus nonnullorum tantum salutem vult, vo-
luntate nempe qua statuit & decernit. Sic
etiam intelligendi Bremenses in Syno-
do Dordrechtana Theologi, Est (inquiunt)
communis quædam Dei φιλανθρωπία, qua di-
lexit totum genus humanum lapsum, & serio
omnium salutem voluit. Iam ex his, ni
fallor, patet, hos quidem qui aiunt,
Deum eos etiam qui non sunt parituri
converti & servari velle, hoc tantum
significare, Deum etiam istis præcipere, ut
convertantur, atque ita ad salutem perveniant,*

Coll. cum Til.
p. 99.

A& Syn Dor-
dr. part. 2. p.
103.

idque si fecerint rem sibi gratissimam facturos; illos vero qui id negant, hoc intelligere, Deum minime decrevisse daturum se immorigeris fidem & salutem; quæ quam non sint pugnancia, nemo non videt. Certe neutrum istorum apud nos est in controversia. Quique aiunt, & qui negant, Deum velle etiam eos, qui parituri non sunt, converti & salvari, utrique pariter confitentur, Deum etiam iis, qui non sunt credituri, præcipere ut credant, & salventur, neque tamen decrevisse iis se fidem & salutem daturum. Vnde postremo conficitur omne hoc discrimen non in re, sed in verbis situm esse.

In altera verò de morte Christi quæstione, res neque difficilior est, neque obscurius à nostris explicata. Sic enim iampridem, quicquid hic est difficultatis, dissolvit, eximius Christi servus Zacharias Ursinus, ut Christum quidem pro omnibus mortuum cōcedat quo ad sufficientiam $\lambdaύτρεσ$: non pro omnibus, sed pro solis electis, seu credentibus, quo ad applicationem $\lambdaύτρεσ$, eius que efficaciam. Ratio prioris est (inquit) quia Christus $\lambdaύτρεσ$ sufficiens est omnibus

CAP. V.

Neque ultra
verba dissentire
nostros in altera
de Christi morte
quæstione.

Explic. Catech. part.
q. 40.

omnium hominum, seu totius mundi peccatis expiandis, modo omnes id sibi fide applicarent. Neque enim dici potest esse insufficientes. Alioqui culpa aliqua interitus impiorum foret in defectu meriti Mediatoris, quod absit, &c. Soli electi meritum mortis Christi sibi fide applicant, & efficaciam eius hoc est vitam eternam, &c. ex ea consequuntur. Tum: Reliqui ab hac efficacia sua infidelitate excluduntur. Haec tenus Ursinus; cui ex recentioribus succinit clarissimus Molineus, Cum autem dicimus (inquit) Christum pro omnibus esse mortuum, id sic accipimus; Nempe Christi mortem, sufficientem esse ad servandos quoslibet credentes, imo & abunde sufficientem ad servandos omnes homines, si quotquot sunt toto orbe homines in eum crederent. Et quod omnes non servantur causam esse non in insufficientia mortis Christi, sed in hominis pravitate: & incredulitate. Sic etiam clarissimus Rivetus; Cum (inquit) scriptura dicat Christum pro omnibus mortuum esse, id etiam nobis agnoscendum est, sed ad sufficientiam precii referendum, quia infinite dignitatis $\lambda\upsilon\tau\epsilon\omicron\nu$ Christus offerre voluit, ne sit vllus, qui pereat defectu sufficientiae, ratione cuius culpa uni-

Anat. An. c. 2
27. ext. p. 202.

versalis est etiam universalis adhibita medicina. Atque ex his liquet vere & affirmari & negari posse *Christum pro omnibus mortuum*, sed alio atque alio sensu. Itaque vera esset (fateor) inter nostros pugna, si id qui affirmant & negant, eodem sensu intelligerent. Sed longe aliter res habet. Nam qui aiunt, *Christum pro omnibus mortuum*, iidem tamen constantissime negant reprobis partam actu & reapse salutem; Tantum volunt eam esse ad expianda hominum peccata, mortis Dominicæ vim, ut per eam redimi & servari potuerint illi etiam ipsi, qui pereunt, nimirum si quam Deus ab hominibus exigit fidem, eam præstitissent. Musculus; *Totum humanum genus Deo Patri reconciliavit, (Christus) & à perditione redemit.* Tum: *Dedit quidem se ipsum ἀντίλυτρον pro omnibus & pro omnibus sufficiens facta redemptio.* Verum inde non consequitur sic esse subatam captivitatem Satanae, ut nemo mortalium ea detineatur amplius. Nam licet expedita sit redemptio omnium, haud tamen omnes illam fide & respicientia amplectuntur.

Colleg. controvers. disp. 6
th. 20.

In 1. Tim. 2. 6.

Mox: Dedit Deus solem suum lucem omnibus, & tamen multi non defectu Solis, sed suo vitio in tenebris manent. Parata quidem est omnium redemptio, verum reprobi malunt esse in servitute peccati, quam in libertate sanguine Christi parta. Idem alibi: Cum sine specificatione dicit Apostolus, Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere, satis indicat neminem hic peccatorem excipi, sed omnibus paratam esse hanc salutis gratiam. Tum: Quomodo ad omnes peccatores salvandos in hunc mundum venit Christus Iesus, cum non omnes salventur? Respondeo: Sicut medicus venit in xenodochium, ut non aliquot tantum, sed indiscriminatim curet agrotos, nisi forsitan reperit inter illos, qui non modo incurabiliter egrotent, sed & opem & medicinam ipsius recipere pertinaciter detrectent. Ita Christus Salvator ad salvandum venit, non aliquot duntaxat; sed absque discrimine omnes peccatores, demptis illis tamen, qui per impenitentiam & incredulitatem, salutis gratiam finaliter respuunt. Arc-
 In Matth. 1. 21 tius; Erat officium (inquit) Servatoris uniuersale quod personam Christi attinet.

Fuerat enim promissio etiam uniuersalis, in semine tuo benedicentur omnes nationes terre. Verum quo ad homines factum est improbitate, & diffidentia mortalium, ut officium $\chi\epsilon\theta\omicron\lambda\delta$ effectum habeat, $\omega\varsigma$ $\mu\grave{\eta}$ $\chi\epsilon\theta\omicron\lambda\delta$. Itaque ad suos tantum pertinet; & recte quidem, cum ad impios propter impietatem, & incredulitatis malum nihil pertineat beneficium Christi. Sic etiam Calvinus noster in Rom. 5. 18.

Hic (inquit) communem omnium gratiam facit, non quod ad omnes extendatur re ipsa. Nam etsi passus est Christus pro peccatis totius mundi, atque omnibus indifferenter Dei benignitate offertur, non tamen omnes eum apprehendunt.

Calv in Rom. 5. 18.

Alibi verba Baptistæ expendens, Ergo (inquit) Ioannes generaliter de mundi peccato loquens nos propria miseria sensu afficere, & ad querendum remedium hortari voluit. Nunc vero quod omnibus offertur beneficium, amplecti nostrum est, ut statuam singuli nihil sibi obstare, quominus reconciliationem in Christo inueniant, si modo duce fide ad ipsum accedant, Idem in tertio eiusdem operis capite,

Id. in Ioa. 29.

Non frustra Deus huc ad nos Filium

Id. in Ioa. 17.

suum misit. Atqui non venit, ut perdat.
 Sequitur ergo proprium esse Dei officium, ut
 salutem per eum consequantur quicumque
 crediderint. Iam non est quod dubitet quis-
 quam vel anxie laboret, quo modo mor-
 tem possit effugere, quando tenemus hoc
 esse Dei consilium, ut nos ab ea Christus
 eripiat. Repetitur iterum mundi nomen
 nequis omnino arceri se putet, si modo
 fidei viam tenet. Tum paulo post:
 Quod autem alibi docet Christus se in
 iudicium venisse, quod vocatur petra,
 scandali, quod dicitur positus in multo-
 rum ruinam, id accidentale est, uel (ut
 ita loquar) adventitium. Qui enim obla-
 tam in eo gratiam respiciunt, digni sunt,
 qui iudicem experiantur, ac tam indigni
 fœdique contemptus ultorem. Hactenus
 Calvinus. Recētiore verò multo etiā
 disertius ista distinxere. Theologi ma-
 gnæ Britanniae in Synodo Dordrace-
 nâ. Sic Christus pro omnibus mortuus est,
 ut omnes singuli mediante fide possint
 virtute ἀπιλύτες huius remissionem pec-
 catorum & vitam eternam consequi.
 Ita etiam Bremensis Ecclesiae in ea-
 dem Synodo Deputati, Martinus.

Act. Syn.
 ord. part. 2.
 ag. 79.

Omnis Dei cum hominibus post peccatum
 dispensatio presupponit Christi redemptio-
 nem, hoc est precii solutionem ad expian-
 da peccata. Tum: Hac ipsa redemptio Ibid. p. 103.
thef. 7. 1. 2.
 est solutio precii pro nobis captivis, non
 ut captivitate exiremus quocumque mo-
 do, sed ut exire possemus, & deberemus:
 re vera autem exituri essemus, si in Re-
 demptorem crederemus. Itidem ut eius
 collega Iselburgius: Passionis, mortis,
 atque meriti Christi est ea dignitas, & Syn. Dordr.
part. 2. p. 109.
thef. 1.
 virtus, ut per se & natura sua abunde suf-
 ficiat ad expianda & tollenda omnia om-
 nium hominum peccata, & ad impetran-
 dam ac conferendam omnibus omnino,
 & singulis reconciliationem cum Deo, gra-
 tiam, iustitiam, & vitam aeternam. Ideoque
 non tantum certis quibusdam, aut solis salvandis,
 sed indifferenter electis & reprobis per Evā-
 gelii praconium medicina peccati & mor-
 tis Dominus noster Iesus Christus pro-
 ponitur & offertur, &c. Omnes & sin-
 guli in Christum credere, eique vivere,
 & ad agnitionem veritatis venire sin-
 cere atque serio iubentur. Tum: Nul- p. 110.
 lus ex reprobis propter defectum mortis
 Christi, aut quod sufficiens in ea con-

Ibid. p. 117.
theol. 3.

Ibid. p. 108.
err. 1, II.

Pareus in
Heb. 2. 9.

tra interitum medicina non fuerit, sed propter propriam suam ipsius culpam quisque damnatur ac perit. Sic etiam Crocius; Christus ex suo & Patris sui consilio passus & mortuus morte & passione sua omnibus ac singulis hominibus peccatoribus sufficientissime promeruit, ut si modo resipiscant & credant possint Deo reconciliari, seu in gratiam & sinum eius restitui. Itaque isti Theologi inter errores circa hanc doctrinam primo quidem numerant eorum assertionem, qui Christum negant ullo modo pro iis, qui pereunt esse mortuum: sed & eodem numero censent eorum dogma, qui volunt precium redemptionis Christi esse efficax ad reconciliandos Deo actu omnes homines. Illis uero iam ante praeiueverat David Pareus, insignis in Germania Theologus; Non est incommoda (inquit) Scholasticorum distinctio, Christum esse mortuum pro omnibus quoad magnitudinem, & sufficientiam precii; non uero omnibus, sed pro solis credentibus, quo ad efficaciam. Ratio prioris est, quia virtus mortis Christi infinita est in se se. Sufficit igitur omnibus

bus ad vitam, modo omnes eam fide susciperent. Alioqui dicendum, quod sit insufficientis, blasphemae. Ratio posterioris, quia omnibus proponitur haec medicina sub conditione fidei. Si non credideritis, moriemini in peccatis vestris. Soli autem fideles conditionem implent; soli etiam, fructum mortis Christi percipiunt in remissionem peccatorum, iustitiam, & vitam. In his solis igitur efficacia mortis Christi se exerit, proinde non male pro his solis, quo ad efficaciam, mortuus dicitur Christus. Camero denique (ne plures laudem) Non nego (inquit) Christum pro omnibus esse mortuum, modo credant. Sed cum non credant omnes, Deus autem dederit Filium ea lege, ut quisquis in eum credit, non pereat, sed habeat vitam aeternam, inde fit ut absolute & proprie Christum pro solis fidelibus mortuus dici debeat. Ex his non est obscurum nostrorum, quamquam aliter atque aliter de Christi morte loquentium, nullam tamen veram esse de re ipsa dissensionem. Nempe qui aiunt Christum pro omnibus mortuum, intelligunt omnes, si modo ij credidissent, Christi beneficio salutis participes futuros fuisse; qui negant,

Cam. Collat
cum Tiln. p
296.

intelligunt omnes non fuisse eius re vera
actuque ipso participes; quod utrumque
ut est verissimum, ita etiam ab utrif-
que pariter conceditur.

fin. ubi su-
a.

Iam vero, quod turbat Conciliator
de Dei, Christique ipsius circa hanc
mortis suæ efficaciam voluntate, id ea-
dem ratione iam pridem ab illo, quem
nuper laudavimus, Ursino explica-
tum est: si queratur de voluntate Christi,
an voluerit Christus pro omnibus mori, ea-
dem distinctione respondetur. Sicut enim
est mortuus, ita etiam voluit mori. Ut igi-
tur est mortuus sufficientia sui $\lambda\upsilon\tau\epsilon\varsigma$ pro
omnibus; pro solis credentibus efficacia eius-
dem: Sic etiam voluit mori pro omnibus cõ-
muniter, quo ad sufficientiã sui meriti, hoc est
voluit morte sua mereri gratiam, iustitiam,
sufficientissime pro omnibus, quia nihil vo-
luit in se, & suo merito desiderari, ut
omnes impij pereuntes essent $\alpha\iota\alpha\pi\omicron\lambda\omicron\gamma\mu\tau\omicron\iota$.
Sed pro suis electis voluit mori quo ad effi-
caciã, hoc est solis electis voluit gratiam
non tantum sufficienter mereri, sed etiam
efficaciter conferre. Denique utraque (in-
quit) Scriptura nimirum & experientia
testatur medicinam peccati & mortis in

Evangelio omnibus quidem sufficientissi-
 me offerri, sed solis credentibus efficaciter
 conferri & prodesse. Hæc hæctenus Vr-
 sinus; quibus hoc etiam ex superius al-
 lata Chamieri distinctione adici po-
 test, velle Deum, ut Christi mors omnibus
 proffit, si de *εὐαγγελίᾳ* intelligas; ut electis
 tantum, si de *εὐδοκίᾳ*. Nam iubet Deus
 omnes, quibuscumque prædicatur
 Evangelium, in Christum crucifixum
 credere, atque ita ad salutem contem-
 dere: quod si pro eo ac decet facerent,
 nemo est cuius obsequium non sit fu-
 turum Deo gratissimum. Atque in
 eo sita est Dei illa, quam diximus,
εὐαγγελία. Cæterum quod ad *εὐδοκίαν* per-
 tinet, neque decrevit Deus efficere,
 neque vero efficit, ut omnes re ipsa in
 Christum credant, utque ipsis ea ra-
 tione Christi mors proffit. Solos electos
 ea voluntate complectitur. Cæteros
 mortales sibi ipsis permittit; neque iis
 singularem illam Spiritus sui vim, qua
 electorum corda convertuntur, aut
 donat, aut donare decrevit. Itaque si
 vel illam tollerent Dei in omnes *εὐα-
 γγελίαν*, qui cōtendunt voluisse Deum, ut

Christus pro solis electis moreretur : vel hanc eiusdem in electos solos eundem negarent, qui aiunt hanc fuisse Dei voluntatem, ut Christus pro omnibus moreretur: tum sane eos ego confiterer de re ipsa pugnare. Sed nunc plane aliter est. Nam qui Christi mortem electis solis vindicant, ij nihilominus consentiunt, Deum velle agnosci totius humani generis Servatorem per redemptionem ab Iesu Christo prestitam, ideoque pro omnibus in universum hominibus preces esse Deo offerendas, atque ex eius mandato omnibus populis & hominibus, quibuscumque Evangelium communicatur, promiscue & indiscriminatim annunciandam, & proponendam promissionem de salute per Christi mortem parta, eoque serio & verissime ostendi, quid Deo gratum sit, nimirum ut vocati ad se veniant, atque ita (quod necessario consequitur) Christi morte fruantur. Tum vero qui Christum ex sua, patrisque voluntate pro omnibus mortuum aiunt, iidem etiam asserunt, magnificeque deprædicant Deum non alios, quam electos potentissima, Spiritus sui efficacia sic.

Syn. Dord.
de 2. art. can.
5.

Ibid de 1. &
4 art. c. 8.

domare, ut Evangelio per fidem apprehenso partæ per Christi mortem salutis participes fiant, hancque Dei ab æterno voluntatem atque εὐδοκίαν fuisse certam & immutabilem. Quod egregie exponit præstantissimus Calvinus, dum illa Christi apud Ioannem verba expendit, *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat; Universalem notam apposuit, (inquit) tum ut promiscuè omnes ad vitæ participationem invitet; Calv. in Ioan. tum ut præcidat excusationem incredulis. Io. 3. 16.* dem etiam pertinet nomen mundi, quo prius usus est. Tametsi enim in mundo nihil reperietur Dei favore dignum, se tamen toti mundo propitium ostendit; cum sine exceptione omnes ad fidem Christi vocat, quæ nihil aliud est, quam ingressus in vitam. Cæterum meminimus ita communiter promitti omnibus vitam in Christo, qui crediderint, ut tamen minime communis omnium sit fides. Patet enim omnibus Christus, ac expositus est; solis tamen electis oculos Deus aperit, ut fide ipsum quærant. Sic alibi adversariis universali illa Christi promissione abutentibus ad expungendam singularem electorum gratiã

Controversia (inquit) caret Christum expian-
 dis totius mundi peccatis venisse : sed confestim
 occurrit illa solutio , ut quisquis credit in eum
 non pereat , sed habeat vitam æternam. Nec
 vero qualis sit Christus , vel quid per se valeat
 nunc quæritur ; sed quibus se fruendum exhibeat.
 Significat nimirum Christum qui-
 dem omnibus offerri fruendum , modo
 credant ; Caterum ex tanto numero
 nullos credere , nisi quibus id a Patre do-
 natum fuerit peculiari quadam gratia.
 Quod in institutione multo uberius ex-
 sequitur ; Quamlibet universales sint salutis
 promissiones nihil tamen a reproborum præde-
 stinatione discrepant , modo in earum effectum
 mentem dirigamus. Efficaces nobis tum esse
 demum promissiones scimus , ubi eas fide reci-
 pimus ; ubi contra exinanita est fides , simul
 abolita est promissio. Ea si est natura ipsa-
 rum , videamus jam numquid inter se hæc
 dissideant ; quod dicitur ab æterno Deus ordi-
 nasse quos amore complecti , in quos iram exer-
 cere velit , & quod salutem omnibus indiscri-
 minatim denunciat. Equidem dico optime
 convenire : Sic enim promittendo nihil aliud vult
 quam omnibus expositã esse suam misericor-
 diam qui modo eam expetunt , atque implorant,
 quod non alii faciunt , nisi quos illuminavit. por-

d. I. de Præd.

d. Inst. l. 3. c.
4. §. 17.

ro illuminat quos prædestinavit ad salutem. Tum; sed cur omnes nominat? Nempe quo tuis piorem conscientiam acquiescant, dum intelligunt nullam esse peccatorum differentiam, modo adsit fides impij autem non causentur, sibi deesse asylum, quo se a peccati servitute recipiant, dum oblatum sibi ingratitude respiciunt. Haecenus Calvinus. Illam autem Dei, tum in omnes *εὐαγγελίας*, tum in electos *εὐδοκίας*; ita explicant Magnæ Britanniae Theologi in Actis Synodi Dordracenæ; Nemo mortalium est, qui non possit vere & serio per ministros Evangelii vocari ad participationem remissionis peccatorum, & vitæ æternæ per hanc mortem Christi Act. 13. 38. 39. Ioa. 3. 17. Evangelio autem nihil falsum, aut simulatum subest, sed quicquid in ea per ministros offertur, aut promittitur hominibus id eodem modo ab auctore Evangelii offertur, & promittitur iisdem. Tum

Atque hic (inquiunt) se aperit æternum illud & arcanum decretum electionis, quando illud precium, quod solutum est pro omnibus, & quod omnibus credentibus certo proficit ad vitam æternam, non proficit tamen omnibus quia non **OMNIBVS DATVR**, ut hanc graviter fœderis conditionem impleant. Sic

Act. Syn.
Dord. part. 2
pag. 78.

Ibid. p. 79.

id. p. 103.
cf. 21,

id. p. 107.
ref. 3. 5.
Colleg. con-
over. disp. 6.
ref. 9.

etiam Bremenses. Meritus est etiam Domi-
nus omnibus hominibus gratiam, sed non eam
omnibus, quæ a singulari electione pendet. Quæ
igitur? Eam quæ sub conditione fidei promit-
titur. Omnibus enim certe hominibus promit-
titur remissio peccatorum, & vita æterna, si
credant. Hic itaque apparet remissionem pec-
catorum, & salutem conditionalem pertinere
ad omnes, non autem promissionem dandi vi-
res, & excitandi actus, quibus conditio illa
impleatur. Hæc enim homines ex se ipsis debent
prestare vigore divini mandat, iquod qui non
possunt, sua culpa non possunt. Itaque ut Chri-
stum pro omnibus, ita specialiter pro fide-
libus mortuum esse asserunt; quibus scilicet
ex singularis electionis decreto donatur fides.
Iam quid ex istis consequatur, malo
clariss. Riveti * verbis explicare, quam
meis. Is enim hoc iam dudum & vidit
acutissime, & vero expressit luculen-
tissime; Alii sunt, qui decretum (inquit)
conditionatum omnibus hominibus ita commu-
ne faciunt, ut asserant consilium Dei Patris,
Filium in mortem tradentis, & Filii eandem
subeuntis, eorundem etiam scopum, & inten-
tionem fuisse omnibus, & singulis hominibus
peccatoribus preciosissima ista morte & passio-

ne acquirere, impetrare, ac promereri, ut si resipiscant, quando doctrinae capaces sunt, & in Christum credant, cum Deo reconciliari, & remissionem peccatorum accipere possint; negant tamen actualem reconciliationem cum Deo, vel remissionem peccatorum, aut vitam aeternam actu fuisse acquisitam, vel impetratam iis, qui permanent in impoenitentia. Isti cum negent perinde pro impiis & piis Christum esse mortuum, affirmantque solis piis de satisfactione Christi gloriari licere, quia ad eos praecipuus illius satisfactionis fructus & efficacia pervenit, SENSU cum aliis orthodoxis omnibus conveniunt, etsi modo LOQUENDI differant; maxime cum speciale quoddam decretum agnoscant, secundum quod specialiter pro solis electis est mortuus, quo non solum ad communia, sed ad singularia etiam beneficia, gratiam scilicet regenerationis, & vocationis efficacis, iustificationis, & glorificationis perducuntur; & merito mortis Christi assignent veram & efficacem communionem, largitionem, & applicationem gratiae salutaris, ipsiusque fidei, qua fit applicatio, donationem. Haetenus Rivetus. Atque ita demonstratum est duas illas nostrorum hominum, quamquam verbis diversas de Christi morte sententias, adeo tamen

Thes. II.

non pugnare, ut etiam earum altera alteram contineat, atque includat. Qui enim aiunt Christum pro omnibus mortuum esse, cum ii quoque fateantur solis electis a Deo dari ut credant, profecto illud etiam, quod hinc necessario existit, concedunt, Christum (quod supra docebat Camero) *proprie pro solis electis esse mortuum*. Qui vero Christum pro solis electis missum dicunt, cum fateantur vicissim, si qui nunc incredulitate pereunt, in Christum credidissent, futurum fuisse ut ipsi quoque servarentur, eos illud pariter confiteri necesse est, Christum, *sub conditione pro omnibus mortuum esse*. Neque enim illi qui servarentur si credidissent, contra mentem vel Christi morientis, vel Patris Christum in mortem tradentis, servarentur.

Cap. V I.
Superiorem illam
dissensionem,
in verbis, non
in ipsa re si-
cam, levissimam
nulliusque mo-
menti esse &
recentiorum, &
veterum Theo-
logorum testimo-
nie probatur.

Quae omnia cum animadverterent Dordracenae Synodi Patres, totam hanc de istis aliter atque aliter loquendi & disputandi minutiam in medio reliquerunt; easque ipsas suorum sententias, in quibus haec verborum diversitas apparet, sincere in acta referri voluerunt,

neque publicari vetuerunt. Intelligebant nimirum viri sapientissimi ista, non ad fidei, quæ ab ipsis definiebatur, summam, sed ad ordinem & methodum disputandi pertinere, cuius magnam inter Theologos libertatem esse decet. Sed neque nova est in Ecclesia ista varietas. Nam cum reliqui Patres, etiam qui ex Augustini disciplina cum Pelagianis & Semipelagianis conflixerunt, dicere soleant Christum pro omnibus hominibus passum esse, omniumque salutem velle, id Remigias, totaque Lugdunensis Ecclesia, cuius ille erat Episcopus, negare non verentur, contraque niti & rationibus, & Scripturæ testimoniis; ut legere est in eo opere, quo tribus de Godescalci causa epistolis, ante annos propemodum octingentos responderent. Enimvero hanc causam eo caritatis & modestiæ temperamento agunt, ut quorum opinionem non probant, eos tamen damnari nolint. *Si autem placet (inquiunt) sicut & nobis multum placet, ut etiam istorum sententia (nempe qui Christum etiam pro impiis crucifixum esse aiunt) ex pietate*

Eccl. Lugd.
Resp. de 3. ep.
Bibl. P. P. T. 4.
part. 2. p. 370.

veniens, propter pacem, & venerabilem pietatem beatissimorum Patrum, non renuatur, nulla ergo contentione pro aliis adversus alios litigetur, ne una sententia pro altera damnetur: Et quia vere fieri potest, ut ignorantiam & imperitiam nostram in hac re aliquid lateat, nihil temere definiatur, ut quolibet quis acquiescat modo, non sui hereticum, nisi contentione hereticum fiat. Iam & in altero capite, nimirum an Deus velit omnes servari; cum eadem modestia versantur.

Ibid. 360. C. Nam præfati perplexam esse hanc questionem, & in sanctorum Patrum scriptis multum versatam, & multipliciter expositam, concedunt admitti posse Deum omnes homines salvos velle fieri, bonitate scilicet creatoris, si modo voluntatem bonitatis suæ ergo salutem hominum non credatur humana obsistente voluntate implere non posse, sed obsistente humana iniquitate implere nolle. Quæ omnia cum tam obscura sint, & tam profunda atque perplexa, nollemus inter fratres & carissimos nostros aliquid de his contentiose ventilari, vel temere definiri; sed potius quod in eis certum est, sine dubitatione defendi; quod autem etiam inter magnos diverso modo, sed non diversa pietate sentientes ambiguum atque incertum

remansit, etiam apud nos & reverenter honorari, quia neutrum eorum videtur falsum, vel fidei contrarium; & magis in talibus inquietos, & contentiosos ad tranquillitatis & sobrietatis modestiam provocari, quam pro inusitatis & minus elucentibus rebus, aliquem immoderata austeritate, ac severitate damnari. Atque hæc hæctenus Lugdunensis Ecclesia, sapientissime, meo quidem iudicio; Ex quibus cæterisque a nobis explicatis, satis iam, ni fallor, intelligitur plane nihili esse, quam Conciliator exagitantam sibi putavit nostrorum hominum in hoc articulo diversitatē, quæ neque ad rem ipsam pertinet, & præstantissimis tum nostræ, tum veteris memoriæ Theologis videtur in Ecclesia ferenda.

Siquid præterea est in tradenda decretorum divinorum serie inter nostros diversitatis, id profecto & levissimum est, & ab ipsa rei summa remotissimum, ac huiusmodi denique quod humanæ potius infirmitati condonari, quam asperius vaxari debeat. Quis enim mireretur hominiones de altissimis Dei consiliis philosophantes non una om-

Cap. VII.

Nullius esse momenti de divinorum decretorum serie questionem.

nes ratione tam sublimis sapientiæ im-
 pervestigabiles vias explicare? Eadem
 est in Romanis Scholis de istis va-
 rietas: eadem in veteri Ecclesia fuit.
 Modo teneantur quæ de gratiæ divinæ
 vi, atque natura perspicue tradita sunt
 in scripturis, absitque rerum obscuris-
 simarum definiendarum temeritas, in
 istis apicibus a captu nostro tam remo-
 tis, aut nullo, aut certe levissimo peri-
 culo erratur. Et nostrorum quidem
 quanta sit in necessariis hujus doctrinæ
 capitibus consensio, satis patet ex supe-
 rioribus. Iam & ipsi loquantur quan-
 ta sua sit in hoc apice modestia. Pro-
 fecto hanc de divinorum decretorum
 ordine quæstionem parte & sobrie ac-
 tingendam, ac in medio relinquendam
 pene omnes monent. Amesius, acer-
 rimi ingenii vir, *De ordine decretorum ho-
 rum* (inquit) *quæ in decernente sunt unum
 atque idem, non contenderim cum eo, qui de
 re ipsa conspirat, electionem scilicet omnimodo
 a Dei voluntate pendere, nec ulli condi-
 tioni ab homine præstandæ inniti. Hoc
 namque capiti hic carido est totius cōtroversia,*
quæ nunc tam sedulo vertitur, non nudus &

Rescript. ad
 Grevinch. p.
 70.

merus ordo concipiendo a nobis positus ad infirmitatem nostram sublevandam. Eadem est Reverendissimi viri Iosephi Halli, nunc Exoniensis in Anglia Episcopi, sententia; Certe inter omnes (inquit) de predestinatione quæstiones levissima illa est, quæ de ordine decreti solet agitari, quandoquidem nobis certum sit uno & simplicissimo actu totum hoc ab infinito, & sapientissimo rerum moderatore peragi. Non discessit ab hac modestia clarissimus Andreas Rivetus, qui nonnullos Theologos divina decreta aliter, quam ipse facit, ordinantes agnoscit tamen pro fratribus, aitque eos fundamentum retinere; cui succinit Gul. Tyvisus, qui nostrorum pœne omnium copiosissime atque subtilissime de hoc argumento scripsit. Is enim hanc de divinorum decretorum ordine controversiam mere Philosophicã esse ait, ac de ea alibi sapiënter sane & Christiane sic cõset. Prorsus (inquit) ita in animum induxi meũ, anxiam istam de serie decretorum divinorum instituenda dissertationem in universum prætermitti posse, modo huc nos nequaquam adigerent adversarii; acuratam & certam omnium in ea comprehensorum apicam ordinationem

In sua de colloquio Lipsiaco sent. p. 42.

Cõtrov. disp. 6. th. II. 17. 18. 19.

l. I. de præd. part. I. digr. I. pag. 15. Ibid. digr. 3. extr.

nobis viatoribus compertam, & exploratam haberi vix, aut ne vix posse iudicem; etiam ad gratiam Dei congruenter asserendam sufficere doctrinam de fide & resipiscentia, inique animi motu bono, & ad bonum a Spiritu S. ipsius beneplacito suspendendis, & per vera impetus, & vere efficacem operationem, non moralem tantaxat suasionem animæ nostræ facultatibus inspiratis & inspirandis. Atque hæc quidem paulo fusius dicta sunt de illa, quam nostris frustra Conciliator exprobrat, opinionum diversitate.

pelluntur que
in nostrorum
sententias a Cō-
ciliatore obiecta
sunt.
2. part. p 15.

Iam vero ex iis, quæ ab initio de hac quæstione diximus, facile solvi possunt quæcumque iste in alterutram methodum obiicienda putavit. Quod enim contendit, qui priorem sequuntur strenuè secum pugnare, dum iidem & aiunt Christi mortem omnibus (siquidem crederent,) servandis sufficere; & negant tamen omnibus & singulis acquisitam esse Christi morte salutem, id inquam nulla ratione facit. Nam quis non videt illos, qua conditione Christi mortem omnibus, etiam impiis, sufficere aiunt, eadem quoque concessuros partam omnibus Christi morte

te salutem, nimirum si crederent?
 quippe qui fatentur neminem esse us-
 que adeo desperatum, qui non sit per
 Christum uicturus, si modo in eum cre-
 dat? Quod vero subiicit perperam ab
 iis in hac causa adhiberi a Sole sum-
 ptam similitudinem, in eo ipse vehe-
 menter fallitur. Neque enim ii negant,
 quod ista similitudo adumbrat, si quis
 Christi beneficio non vivit, id nulla
 Christi culpa contingere, quemadmo-
 dum non fit ullo solis vitio, quod mul-
 ti mortalium non vident; quod satis of-
 tendit ille ipse clarissimi Molinei locus,
 quem hic Conciliator, iratus credo au-
 ctori, perstringit obiter, & decurtatum
 refert. Ego totum describam; est enim
 egregius; *Eodem (inquit) modo potest dici
 Christum morte sua Deo reconciliare omnes
 homines, quo dicimus solem illustrare oculos o-
 nium hominum, quamvis multi sint cæci, multi
 dormientes, multi in tenebris abditi. Nempe
 quia si omnes & singuli homines essent ocu-
 lati & vigilantes & positi in media luce, lux
 Solaris sufficeret ad eos illustrandos. At (in-
 quit Concilator,) si res sunt pares, parva
 fuerit reapse omnibus Christi morte reconciliatio.*

Anatome Ar-
 min. c. 27. ext.



Acutè sane ; quasi colligam etiam cæcos & dormientes reapse videre ex eo quod sol omnes illustrare dicitur. Nam omnes reapse Deo reconciliatos esse, quid aliud est quam omnes Dei gratia in Christo frui? Sol sua luce efficit, ut videre possis ; non efficit ut reapse videas, nisi aperueris oculos. Ita sol ille alter effecit quidē morte sua, ut quivis mortalium, (credat modo) reconciliari possit Deo ; non efficit, ut quisquam reapse reconcilietur nisi credens. Iam Scripturæ loca, quibus priorem hanc nostrorum hypothesein everti putat, nihil est opus sigillatim excutere, cum ne ipse quidem ullum vrgeat; tantum dicat eorum id esse pondus, quod nulla nasi aduncitate suspendi possit.

Sed neque cum iis pugnat feliciter, qui Christum concedunt pro omnibus mortuum, Deumque omnium salutem ea conditione velle, si credant. Nam quod ex horum hypothesei cōcludit vitam cœlestem, neque electis sub conditione, neque aliis serio offerri, neutrum bene colligit. Quid enim?

2. part. p. 19.

20.

i bid. p. 22.

An si Deo visum est, quam ab omnibus
 exigit novi foederis conditionem, eius
 praestandae vim quandam eximiam cer-
 toque efficacem nonnullis concede-
 re, eo fiet ut nullam ab istis conditio-
 nem exigere dicendus sit? Nihil minus.
 Tantum inde sequitur, quod electi la-
 tam omnibus conditionem implent,
 (hoc est quod credunt,) id non ex com-
 muni cum aliis gratia fieri, sed ex singu-
 lari quodam Dei dono; quae ipsissima
 est istorum quos impugnat, sententia.
 Nihilo melius ex eorum hypothese
 colligit ceteros homines non vocari
 serio, quibus nimirum offertur quidem
 salus, sed ex ea conditione suspensa,
 quam implere non queunt, ea vi de-
 stituti qua sola efficitur in nobis fides.
 Atqui eodem argumento probaverim
 Deum olim miseris mortalibus illu-
 sisse, cum ad audiendum & benefacien-
 dum provocaret, quos vir divinus au-
 diendi & benefaciendi vi caruisse te-
 statur. Eadem ratione Christus quoque
 Iudaeis illuserit, dum eos, quamquam
 caecos & induratos, & credendi poten-
 ti adestitutos, non destitit tamen & ver-

olin. enod
æst. p. 120.
2. 213.

vviso. l. 2.
iminat. 3.
gress. 2. c. 3.
it.
rist. 3. Ethic.
7.

bo & miraculis ad fidē & salutē urgere. Pudet quod orbis Christiani Cōciliator rem tam facilem, tamque obuiam, ab omnibus propemodum Theologis & Philosophis observatam, non intellexit; nimirum duplicem esse impotentiam; unam Physicam, Moralem alteram; illam, quæ ex earum facultatum inopia oritur, quibus à natura comparatum est, ut aliquid fiat; hanc, quæ ex prava animi dispositione proficiscitur. Itaque duobus iuxta modis negamus *conditionem aliquam præstari posse*, vel quam quis etiamsi maxime velit tamen effectam dare nequit, quod non habeat vires ad eam efficiendam naturaliter requisitas; vel quam quis præstare posset quidem si vellet, sed tamen eo adduci non potest, ut velit, contrario nimirum habitu sic ejus animum obsidente, atque præpediente, ut id numquam serio velit. Fateor ei illud a quo conditio exigitur priori sensu impossibilis; veluti si quis vel a viro postulet ut cœlum digito tangat, & Oceanum exhauriat, vel ab infante bimulo, ut Evangelium percipiat, vel a cæco, ut solem aspiciat. Sed nihil vetat quo minus ab homine ea exi-

gantur, quæ is non posse dicitur quidem, sed in secundo sensu. Nam herus certe non illudit seruo, cui præmium aliquod ea lege promittit, ut sit frugi & modestus, quamquam servus ille eo sit fortasse ingenio, eoque animo, qui istam conditionem neque impleturus sit umquam, neque vero implere possit, quod mentem a bona fruge averfam contrariorum vitiorum habitus penitus imbuerint, atque infecerint. Observat Polybius, quod ipsa quoque experientia comprobatum est, hominum animos sic interdum efferari, ut nullam culturam ferre queant. Ideone ludere dixeris, si quis eos, qui ita comparati sunt, moneat atque hortetur, & ad officium præmiis propositis invitet? Iam vero cum dicitur ea, quam Deus a nobis exigit, conditio huiusmodi esse, quæ a miseris hominibus præstari non possit, id ego quidem concedo, si in posteriore sensu intelligatur; si in priore, nego. Obsecro enim quid erat causæ, cur protervi illi, quibuscum Ieremiæ res fuit, neque audire, neque benefacere possent? Obstabatne surditas, vel ingenii stupor,

L. I. hist. p. 82.

vel dementia? vel earum rerum inopia, quibus ea officia præstantur, quæ ab illis Dei nomine exigebat Propheta? At quis non videt omnem istam impotentiam non aliunde manasse, quam ab improba quadã animi libidine sana omnia respicientis? Quid de Iudæis dicam, summam Christi bonitatem pari scelere aspernãtibus? Palam est non idcirco eos credere non potuisse, quod aliqua necessitas invitos ac reluctantes distineret, sed quod scientes volentes carnis & mundi amor transversos raperet, eaque contemnere & odisse subigeret, quæ nisi obstitisset effera illa, atque immanis libidinum impotentia, non potuissent profecto non amare, atque admirari. Quod etiam alibi brevissime quidem, sed tamen luculentissime docet Christus, ubi istos ideo negat posse credere, quod gloriam ab invicem acciperent, eam vero *gloriam, quæ a solo Deo est, non quærerent*. Cæterorum mortaliũ, qui oblatam à Deo lucem fastidiunt, eadem omnino conditio est. Nam & Gentilibus obvia esse divinæ tum potentia, tum bonitatis argumenta non

Ioan. 5. 44.

uno in loco monet Paulus ; & Iudæis familiarem fuisse legem , non procul positam , sed ori cordique insertam clamat Moses ; & iis postremo , qui sub Christi œconomia vivunt , apertum , atque expositum patere Evangelium res ipsa testatur , ut eam , qua laborant , credendi & parendi impotentiam a voluntaria animi pravitate , atque nequitia proficisci necesse sit , cum iis neque mens , qua creditur , neque ejus , cui creditur , objecti species desit. Itaque quod illis nostris per summum errorem affingit Conci-
liator , id evidentissime falsum est, *Deum aliquos mortalium a fide exclusisse* , eo sane sensu quo iste intelligit. Sua quemque nequitia , atque pravitas a fide excludit. Deus vero adeo non repellit aut excludit quemquem , ut etiam omnibus invitet , sinumque accedentibus exporrigat , neminemque lucis suæ penitus expertem esse sinat. Fateor eam electis multo quam reliquis largiorem , & splendidiorum affundi. Fateor vim illam Spiritus , qua isti trahuntur , & in Christi obsequium subiguntur , singu-

2. Part. p. 23.



Luc 14. 17. 24.

lare esse Dei donum, neque id aliis quam ipsis concedi. Sed non eo fit ut quibus Deus tantumdem dare noluit, iis nihil plane dederit. Neque si quosdam in aulam cœlestem *intrare compulit* futuros cœnæ regiae participes, eo dicendus est cæteros vel exclusisse, vel etiam (quod multo minus est) præteriisse.

part. p. 23.

Quod vero Conciliator pertendit fidei causam omnibus æqualem esse debere, id neque ipsa fœderis ratio postulat, neque eorum quos hic refellere instituit, hypothesis. Satis est, si Deus nullum mortalium reliquerit, cui non aliquod suæ bonitatis documentum dederit, huiusmodi quod eum reddat inexcusabilem, si minus ei paruerit. Illum vero singularem lucis modum, qui fidelibus datur, nemini debet Deus, eumque electis ex mera gratia largitur. Quo referri debet laudatus a Conciliatore Ieremiæ locus, in quo Dominus ait se leges suas in electorum mentibus inscripturam. Neque enim (quod isti placere videtur) sic illa Domini oratio accipienda est, quasi ad omnes pertineat, qui Evangelica prædicatione vo-

cantur ad fœdus gratiæ; (esset enim eo sensu manifeste falsa, cum satis constet, non eorum omnium mentibus insculpi legem Dei, quibus annunciat, atque offertur illud fœdus.) Sed significat Deus, quid in electorum animis Spiritus sui vi peculiariter designaturus sit, quamque constans futura sit suæ istius operationis efficacia. Neque mirum videri debet, quod ista Dei promissio, quæ nullam plane conditionem annexam habet, fœdus dicatur. Nam fœderis vocabulum (quod a doctissimo Camerone observatum est) sic interdum in Scripturis sumitur, ut significet etiam promissionem Dei absolutam. Quod postremo fides electis dari dicitur ex singulari Dei gratia, non eo negatur in Christo dari: quod nulla sane ratione colligit Conciliator. Nam cum Christus crucis suæ vi eam maceriam everterit, quæ nos a Patre dirimebat, aggeremque illum removerit, quo pronus (ut sic dicam) divinæ in nos beneficentiæ cursus cohibebatur, quis non intelligit illud ipsum fidei donum, quo sunt electi peculiariter ornati, Christo Domino acceptum esse fe-

2. part. p. 30.

Ibid.

rendum? Atque ita (ni fallor) evanuerunt, quas hic Conciliator somniat Synplegades, nihilo iis veriores, quas mendax olim Græcia in Euxino mari fabulata erat. Nolo exagitare, quod per immanem contumeliam secundæ hypotheseos auctoribus affingit novum nescioquod Evangelium. Satis est ostendisse nullo fundamento niti, quæcumque in nostrorum hominum sententiam sibi dicenda putavit;

Ibid. p. 22.

Cap. IX.

*Conciliatoris de
natura, gratia,
predestinatione
sententia.*

Iam ergo venio ad ultimam pensæ mei partem, in qua breviter indicandi sunt maxime insignes Conciliatoris errores. Et hujus quidem laboris longe difficillimum fuit intelligere, quid ille sibi velit, adeo impedita est, & tenebrosa omnis ejus disputatio; in qua cum versor videor mihi per loca ingredi densissima aliqua caligine circumfusa,

*Quale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in sylvis, ubi cælum condidit umbra
Iupiter, & rebus nox abstulit atra colorē.*

Itaque in primis (si fieri possit) evolvenda est omnis istius de Dei gratia, & predestinatione sententia, & quæ huc

illuc sparsit, colligenda, ut ea uno, ve-
 lut intuitu cerni queant. Ille ergo
 hominum, quales ii natura oriuntur
 perditissimum esse ingenium, & a Deo
 alienissimum non negat; Christumque
 ad eos liberandos & in beatam immor-
 talitatem afferendos missum fatetur.
 Igitur istam erga nostrum genus beni-
 gnitatem omnibus omnino hominibus,
 quamquam variis, diversisque, & a se
 invicem discrepantibus modis, signifi-
 cari atque offerri. Omni autem illi do-
 ctrinæ, sive veritati, quæ divinæ erga
 eos in Christo misericordiæ notitiam
 exhibet, cuiuscumque generis vel mo-
 di fuerit, *inhæere vim vivificantis Spiritus
 Dei, qua domatur, superaturque nativa, atque
 inolita ingenii humani pravitas, nimirum pro
 mensura revelatæ lucis.* Cum igitur do-
 ctrina ista, seu veritas omnibus omni-
 no hominibus aliquo gradu, ac modo
 oblata fuerit, neminem esse cum quo
 vivifica illa vis qua Spiritus in hominum
 cordibus agit, non fuerit communica-
 ta. Sed quæ omnibus datur non idem
 tamen apud omneis efficere; verum
 alios quidem sic afficere, ut credât, men-

2. part. p. 74.
75.76.

Ibi. p. 151. 152

temque novam induant, atque sic
 boni immutabilis participes fiant: alios
 vero minimè immutare, qui nimirum
resistentiam (sic enim loquitur ei op-
 ponunt *inexpugnabilem*. Illud autem dis-
 crimen oriri, non ex eo quod vel Deus
 iis, qui credunt, gratiam aliquam indul-
 serit qua caruerint ii qui non credunt,
 vel quod naturalis arbitrii vis in his mi-
 nus valverit, quam in illis; sed a certa
 quadam alia utrorumque disparitate.
 Nimirum duo reperiri ait hominum
 genera; Alios enim potenti Dei manu
 contusos, & parvulos factos miseriæ suæ
 sensu affici, atque idoneos esse, qui
 perpeffionum Christi conformitatem
 in se recipiant; alios contra naturali-
 bus bonis abusos efferri, atque insoles-
 cere, *magnatesque sive re, sive affectu fieri*.
 Itaque spiritualem illam ac vivificam
 vim, quæ inest doctrinæ Evangelicæ,
 apud illos quidem fidem efficere; apud
 hos vero plane nihil, quod quidem sit
 salutare. Ex quibus constituit Deum
 eos solos secundum propositum elige-
 re tum ad fidem, tum ad gloriam, qui
 priori illa ratione parati ac dispositi
 sunt; cæteros reprobare, qui eam Dei

p. 78.

p. 86.

p. 50. 91. 160.
&c.p. 88. 98. 99.
151.

85 86.

p. 151. 152. 153.

91.

98. 152. 153.

gratiam, qua gignitur fides, acceptam, per immanem superbiam, nimiumque amorem sui, vel omnino contemnunt, vel ad tempus admissam tandem deserunt. Hæc omnino est (quantum quidem ego intelligere potui) Conciliatoris doctrina, quam ille extra omni teli jactum positam putat, nullique earum difficultatum obnoxiam, quibus urgentur cæterorum de prædestinatione sententiæ. Sic enim se effecisse existimat, quod longe difficillimum est, ac mea sententia impossibile, ut illa Dei gratia, quæ humanas voluntates necessario inclinat, ea tamen ipsa sit omnium hominum, etiam eorum, qui non credunt, communis.

152.

p. 51. 52.

Sed iam videamus, quam vana sit omnis istius jactatio. Primum illud mirari subit, quod omnem hanc, quæcumque tandem illa sit, sententiam, nullis Scripturæ testimoniis, nullis rationum momentis constituere conatus sit. Quid enim? Putat ne omneis partis utriusque Christianos totidem esse pueros, nihilque se aliud habere pensi, quam ut sua illis insomniane an-

Cap. X.
Falsum & Pelagianum esse quod constituit Conciliator nullam esse Dei gratiam nisi obiectivam.

oracula dicitur? Non cogitat quam in no-
 stra quique parte hausimus de hoc fidei
 capite sententiam, eam nobis & divi-
 narum litterarum auctoritate, & gravis-
 simorum virorum exemplis, atque ra-
 tionibus sic fuisse probatam, sicque pe-
 nitus animis infixam, ut non nisi sum-
 ma vi inde revelli possit? Sed jam rem
 ipsam intueamur. Non libet omnia quæ in
 istius placitis aut infirma sunt, aut etiam
 noxia, exagitare. Præcipua tantum per-
 sequar; Quale illud est, quod statuit om-
 nem Dei salutarem gratiam eo tantum
 contineri, quod hominibus discendum,
 & percipiendum obiicitur; veluti nulla
 sit seorsim Spiritus in ipsam hominis
 mentem operatio, quæ cor fingat, at-
 que paret, ad hoc ut oblatam Dei veri-
 tatem recipiat. Scio illum fateri gratiam
 Dei in animos mortalium agere. Sed
 illam omnem interim divinæ gratiæ
 vim ipso illo, quod hominibus obiici-
 tur veritatis documento conclusam esse
 putat; qua ratione ipso, quod hauritur
 pharmaco omnis illa vis continetur,
 quæ agit in agrum corpus, nulla aliun-
 de vi accedente, quæ corpus ipsum ad

hoc disponat, ut pharmacum in eo sit
efficax. Hoc vero quam sit a doctrina
Christiana alienum nemo non videt.
Nam vel eadem, vel certe similis fuit
Pelagianorum hypothesis, quibus eam
alicubi exprobrat Prosper,

aliud non est vobiscum gratia, quam lex
Quamque Propheta monens, & quam do-
ctrina ministri.

De ingr. c. 10.

Equidem non nego eam esse salu-
tari doctrinæ vim, quæ per se ad sanctifi-
candos homines suffectura esset, modo
in animos incideret nulla vitiorum, aut
libidinum labe inquinatos. Nunc vero
tanta est ingenii nostri pravitas, ut ve-
ritatem Dei, quamquam in clarissima
luce objectam, & mirabileis excellentiæ
ac divinitatis suæ radios spargentem,
fastidiamus tamen, & aversemur; atque
in eo sita est illa cognoscendi & aman-
di Dei moralis, de qua supra diximus,
impotentia. Itaque ut illa doctrinæ
vox, quam Deus omnibus hominibus
objicit, naturalem credendi impoten-
tiam tollit; sic moralem illa interior
Spiritus lux, qua electorum animi per-
funduntur. Illa efficit, ut possint ho-

Ps. 119. 18.

Eph. 1. 17.

Act. 16. 14.

mines, si velint; hæc etiam, ut velint. Illa reddit homines inexcusabiles; hæc facit fideles. Quod si nulla alia est Dei gratia, quam quæ ipso verbo, & doctrina nobis objecta continetur, quid opus erat, ut David tam sollicitè flagitaret sibi retegere oculos, ut mirabilia legis consideraret? Sed intelligebat vir divinus frustra nobis objici cœlestam doctrinam, nisi ad eam recipiendam arcane quadam vi mens ipsa patefiat. Quorsum etiam spectat illa Pauli tam vehemens precatio, ut Deus Ephesiis det Spiritum sapientiæ, & revelationis, illuminatos oculos cordis, ut sciant quæ sit spes & vocationes ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis; quo loco aperte distinguit veritatem, quæ verbo revelatur, ab ea gratia, qua cor ad eam intelligendam præparatur. Sic etiam testatur Lucas *Dominum aperuisse cor Lydiæ, ut intenderet his, quæ dicebantur a Paulo.* Gratia quidem Dei fuit, eaque maxima, quod Paulus Lydiæ prædicaverit Evangelium. Sed quis non videt præter hanc (quam docendi causa *objectivam* sane dicamus) aliam insuper fuisse

fuisse Domini gratiam, qua nimirum cor mulieris apertum est, ut ea Pauli prædicationem, qua decebat fide suscipere? Et hæc itidem *subjectiva* (si placet) appelletur, quod *subjectum*, in quod agit cœlestis doctrina, certa quadam ratione disponat, eique suscipiendæ idoneum reddat. Piget plura dicere de re obvia, quæque apud omnes Christianos in confesso est. Hoc ergo esto primum Conciliatoris peccatum, quod gratiam *subjectivam*, aut sustulit, aut certe dissimulavit; *objectivam* solam memoravit.

Alter ejus error est, priori nihilo levior, quod neget singulari Dei gratia fieri, ut quis credat Evangelio. Vult enim gratiam illam, qua creditur, sic esse omnium communem, ut qui credit, ei nihilo majorem gratiam indulserit Deus, quam ei qui non credit. Quæ in parte ita se ipsum involvit atque implicat, ut nullis mihi aliis ad eum refellendum argumentis sit opus, quam iis quæ nobis ipse suppeditat. Singulari enim Dei gratia fieri ut credamus qua fronte negare potest, qui fatetur alibi

Cap. XI.

Alter error Conciliatoris, singularem Dei gratiam tollentis.

Part. p. 50. 60. 91. 93. & passim.



Ibid. p. 87.

Ibid. ip. 199.

Ibid. p. 107.

108. 166.

p. 108.

credentes a sola Dei gratiae virtute id consequi quod nativa carnis reluctatio superetur in illis? & a sola Dei operatione contingere, quod gratiae efficacia non eandem, quam in aliis, superbia contumaciam offenderit? Ergo istuc ipsum quicquid & quantumcūque est, singularis certe gratiae fuit; neque enim caeteris idem obtigit, quod tamen Conciliator concedit obtingere potuisse, si libuisset Deo. Tum ait quicumque malorum suorum onere pressi gemuerint, eos verbi efficacia certo, & quidem solos ad credendum impelli. Quæro ipsum illud gemere unde habeant? Si a se, ergo Pelagiana liberi arbitrii vis constituenda est. Si a Deo, quod passim affirmat Conciliator, quis non videt istam gratiam caeteris, qui non gemunt, communem non esse? Certe disertissime profiteretur, quod si minus, quam caeteri pravi sunt, id a Deo esse liberum eorum arbitrium inhibente. Quasi vero non sit hæc singularis Dei gratia minus esse pravum quam caeteros. Sed Pauli, quod profert, exemplum rem omnem conficit. Quis enim usque adeo insaniat, ut quæ ad Paulum convertendum adhi-

bita est Dei gratia eam affirmet ipsi cum
 cæteris omnibus, qui Evangelium res-
 puunt, fuisse communem? Conciliator P. 113
 vult eo prælatum fuisse cæteris, quod
 Christi de cælo tonantis voce ac stimu-
 lis conterritus peccata sua senserit. Quod
 quamquam absurdum, ac pene ridicu-
 lum, tamen ad jugulandum istius erro-
 rem satis est. Obsecro enim illud ip-
 sum, quod Christus ita Paulum conve-
 nit, quod hominem salutari vocis ful-
 mine prostravit, quod insolito fulgore
 præstrinxit, quod postremo sic undequa-
 que oppressit, ut adversus sanctissimos
 cæli stimulos calcitrare nō posset, an nō
 inquam id ipsum gratia fuit, & quidem P. 182. 241
 plane singularis? Idem liquet ex eo,
 quod Conciliator fatetur neminem a
 Patre trahi, qui non veniat ad Filium.
 Ergo quando tam pauci veniunt, illa
 profecto tractio, quicquid tandem sit,
 peculiaris est quorundam, non com-
 munis omnium gratia. Quid, quod
 agnoscit ex Paulo, quicquid in nobis P. 199.
 boni est id Dei vocationi atque opera-
 tioni acceptum ferendum esse? Nonne
 igitur singularem aliquam Dei in cre-



dentes operationem fuisse fatendum
 est, quando fides, & cætera Spiritus do-
 na non sunt iis cum cæteris hominibus
 communia? Alibi agnoscit quibusdam
 ita suaderi, ut persuadeatur, aliis suaderi
 tantum; duplicem item esse vocatio-
 nem, unam qua vocati ad Christum per-
 ducuntur; alteram quæ vocat quidem,
 sed non perducit ad Christum. Ergo ne
 isti, qui sic vocati sunt, ut ad Christum
 perducti fuerint, nihil acceperunt præ
 istis, quibus suadetur quidem, non ta-
 men persuadetur fides? Quò itidem re-
 ferendum est, quod ait postea ex para-
 bola Evangelica, coactos fuisse ingredi,
 qui ad Domini epulum venerunt. Ergo
 illorum certe gratia singularis fuit;
 quando iste ceteros fatetur minime coa-
 ctos fuisse. Denique ne plura huc con-
 geram, ex Esaia colligit *singularem* esse
 quorundam electionem a Deo factam
 & eam quidem cuius præter Dei vo-
 luntatem, nulla reddi possit ratio. An
 non est ista plane singularis Dei gratia,
 cum nihil habeas præ cæteris eximii,
 iis tamen ex mera Dei voluntate ante-
 ferri? Atque hinc videre est, quam

44.

246.

252.

belle inter se cohæreant nova istius mysteria, qui quod uno in loco constituit id aliis sexcentis evertit. Nam de re ipsa tot, tamque præclaris nostrorum hominum disputationibus explicata, atque demonstrata nihil attinet fusius hic quidem differere. Satis sit obiter monuisse istum a Dordracena Synodo palam deficere, qui quam illa luculentissimo decreto fixit singularem Dei in credentes gratiam contraria assertione refigere non veretur.

Sed nihil in omni hac Conciliatoris disputatione absurdius, aut insulsius occurrit, quam id ipsum in quo tamen ille maxime sibi plaudendum putat, nimirum quod quandam conditionis disparitatem divinæ electioni præstruit. Nam cum ea, quæ hominibus objicitur divinæ veritatis significatio alios ad fidem perducatur, alios ne moveat quidē, quamquam apud utrosque eadem agendi vi pollens, ille, quod jam supra attingimus, inde petendam decernit tanti discriminis causam, quod illi quidem miseriæ suæ sensu affecti gemerent, hi

Cap. XII.

III. Conciliatoris error, gratiæ efficaciam ab hominum dispositione suspendentis.

stulta bonorum suorum opinione in-
 flati superbirent. Amabo, potuitne
 quicquam fingi, quod vel a scripturarum
 auctoritate, vel ab ipsa experientia ve-
 hementius abhorreret? Nam ut hinc
 ordiar, palam est neque vocari efficaci-
 ter, quicumque miseriae suae sensu affi-
 ciuntur. Multos legis divinae lux, plu-
 res ipsa vitae vanitas atque miseria, plu-
 rimos dira superstitio subigit, atque de-
 jicit, qui nihil secius pereunt. Iam
 & eorum, qui vocantur, non pauci nul-
 la praecedente hujusmodi praeparatione
 ad Christum adducuntur. Nam de
 Matthaeo certe, vel Zacchaeo nihil tale
 legimus. Et Paulum ad eum temporis
 articulum, quo a Christo captus est, cer-
 tum est tumidum ac superbum fuisse,
 vereque Pharisaum. Quod vero ait
 Conciliator non eam fuisse ejus super-
 biam, quae veritatem agnitam contem-
 neret, concedo. Sed neque plurimo-
 rum, qui tamen non vocantur, hujus-
 modi superbia est. Nemo scilicet coe-
 lo excluditur, nisi qui peccaverit in
 Spiritum Sanctum? Quod subjicit Pau-
 lum ad Christi lucem & stimulos expa-

visse, credo equidem. Neque enim quisquam est adeo protervus ac immanis, cui tam terrificæ visio non eundem metum incussura fuerit; adeo ut si ad huiusmodi visa expavescere sit cruci gestandæ idoneum esse, nemo mortalium non ad eam bajulandam idoneus censi debet. Quæ vero resipiscentia, pristinique furoris vera detestatio Paulo in illis pavoribus peculiaris fuit, ea Christi cognitionem ac fidem non antecessit, sed secuta est. Iam quod iste sumit parvulos, quibus cœli mysteria revelari ait Dominus, homines esse humili ac dejecto animo, quique sibi neque plaudant aut gratulentur, neque vero ullius boni conscii sint, id, inquam, nulla ratione facit. Nam eo vocabulo, non animi dispositionem, sed fortis tenuitatem significari, ut alia nunc argumenta omittam, velis evincit locus, quem cum isto componit Conciliator, *Videte vocationem vestram Fratres; quia non multi sapientes secundum carnem; non multi potentes; non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, &c.* Quis ex ista oppositione non in

p. 102.

Matth. II. 23.

1. Cor. I. 26.

telligit parvos a Christo, *stultos, infirmos, ignobiles, & contemptibiles* a Paulo dici, quos neque eximia aliqua prudentia, aut rerum humanarum cognitio, & usus, neque opum, vel nobilitatis, aut dignitatum gratia commendat, neque cætera, quæ solent esse in precio apud homines sæculi? Nam ex illo potentum & nobilium genere, quos significat Paulus, nihil vetat aliquos ad Christum vocari; quin & nonnullos tales fuisse in ipsa Corinthiorum Ecclesia docet Apostolus. Dum enim multos negat, eo ipso nonnullos innuit vocatos fuisse istius generis. At ex eorum numero, quos Conciliator *magnates* appellat, ne unus quidem, si stant ejus hypotheses, ad Christum vocatur. Fateor Deum, quod beatissima Virgo cecinit, *superbos mente cordis sui dispergere*; fateor potentes de sede deponere, & quod etiam a Paganis, & iis quidem Epicureis observatum est, *pulcros fasces, sævasque secures obterere, & proculcare, sibi que ludibrio habere*. Sed eo profecto non efficitur, ut (quod pertendit Conciliator) vel nemo unquam ex istis potentibus ad Christum

perducatur, vel nemo ex iis, qui sunt in tenui fortuna a cœlorum regno excludatur. Nam de eo hominum genere accipio, quod ait B. Virgo a Deo exaltari humiles. Iam vero Paulinæ de Dei gratia doctrinæ quantopere repugnet ista Conciliatoris hypothesis, non est obscurum. Iste enim fatetur* de hominum vocatione ita Paulum philosophari, ut statuatur cur hunc Deus vocet, istum non vocet, non posse aliã causam, quam Dei voluntatem proferris; in iis autem ipsis, qui discriminantur nullam omnino inesse tani discriminis rationem. Atqui ex Conciliatoris hypothesis aperta est discriminis ratio: nempe qui vocatus est idoneus fuit ad crucem Domini gestandam: non item ille alter, qui induratus est. Paulus certe ex Scripturis V. T. luculentissime colligit, quod hominum alii aliis præferantur id non fieri ob ullam alicuius boni, quod ipsis insit, prærogativam (erant enim qui præferuntur iuxta cum aliis perditis.) Decernit quicquid id est discriminis esse ab vno vocante: Deique mera voluntate fieri quod hic vocatur,

* 355.179.180.

181.183.184.

198.199.200.

249.

Rom. 9. 11. 12

132

Versu. 15. 16.
17. 18.

Vers. 19. 20. 21.

2. part. p 88.

Ibid. pag. 84.
103. 104. 105.
107.

adeoque salutem consequitur; alter non vocatur, adeoque induratur. Obloquentem non aliter compescit, quam allato in medium supremo illo Dei in omnes creaturas iure: quo de suo id ei facere licet, quod libet: Inscitè omnia ac imperitè (ut nihil dicam gravius) si illa vera sunt, quæ narrat Conciliator. Nam si isti credimus, non vocatur, nisi qui miseriam ac tenuitatem suam agnovit, qui ingemuit, qui gratiam sitivit, qui cum Paulo exclamavit, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Qui ita se gerit, isne, quæso nihil habet præ Pharaone præcipui? Nam cui fiat verisimile quod identidem reponit Conciliator, eam animi dispositionem nullum esse bonum? Atqui huic contraria dispositio malum est, & quidem maximum. De se autem humiliter sentire, neque animo efferri, aut falsa opinione insolescere, sed quod res est id ipsum agnoscere atque fateri, certe si virtus non est, affectio est virtuti simillima: virtutisque non obscurum elementum: quod, an vlli homini possit obtingere sine alio ob fidei rudimento, ipse viderit: nos quidem

non putamus. Neque si mundus per summam stultitiam huic animi deie-

Ibid. p. 104.

105.

Et tunc tumorem Pharisaicum anteponebat, ea quoque apud Deum divinosque homines eodem loco ac numero haberi censenda est. Certe ipse alibi fatetur qui ita sunt affecti, eos a domino bonæ terræ æquiparari, quod non fieret, si nihil iis inesse boni. Ergo vel hinc liquet Con-

Ibid. p. 147.

iliatorem cum Paulo adversa fronte concurrere. Quam enim terram hic pronunciat omnis plane boni expertem, ille contendit jam bonam fuisse, cum nondum Dei manu consita esset. Sed esto tamen, quando sic lubet Conciliatori. Ne dicatur bonum illa quam vocationi præstruit animi dejectio; certe ea aliquid est, quod cum huic insit, qui vocatur, alteri non insit, qui non vocatur; manifestum inter eos discrimen facit, adeoque tollit impiis occasionem oblatrandi Deo. Nam eum qui de se submisit sentit, gemensque & prostratus opem Dei tantum non exposcit, ei anteponi, qui inani fastu turgidus Deum hominesque despicit, usque adeo verum est & naturali æquitati con-

Ibid. p. 147.

Ibid. p. 147.

sententiam, ut ad coercendam impiorum
 querelam sufficere possit. Atqui Paulus
 alio confugit; Dei beneplacitum, & ius
 summum adducit, quod proferri non
 solet, nisi ubi nulla apparet in rebus ipsis
 ratio. Ergo Pauli alia est, quam Conci-
 liatoris sententia. Iam quod iste glo-
 riatur per suam hypothesein dissolvi
 quicquid est in aliis opinionibus incom-
 modi, adeo verum non est, ut nullius sit de
 hoc religionis capite sententia, quae plu-
 ra monstra pariat. Nihil nobis iste, nihil
 adversariis tamquam turpe, aut absur-
 dum objecit, quod non ipsius sententiae
 conveniat; & quae in aliis reprehendun-
 tur singula, ea in hunc confluxerunt uni-
 versa. Putat se cavisse ne Deus iam hu-
 manae perditionis auctor videri queat.
 Atqui ne ipse quidem id removit, ex
 quo omnis ista impiorum blasphemia
 nascitur. Nempe fatetur Deum indu-
 ratos, eoque perituros, mollire potuisse,
 libuisset modo. Sperat se omnem fidei,
 poenitentiae, & sanctitatis causam soli
 Dei gratiae in solidum ascripsisse. Atqui
 & libero arbitrio primas in hoc negotio
 partes tribuit. Nam illam animi deje-

ibid. p. 89.

ibid. p. 199.

ibid. p. 89 91.

tionem, ex qua divinæ in nobis gratiæ operationem, omnemque adeo sanctitatis, ac gloriæ nostræ seriem necit ac suspendit, liberi arbitrii opus esse statuit. Vult enim voluntatem nostram omnium, quæ ex naturæ fœdere contingunt, dominam esse, ipsamque hætenus in actus suos summum & absolutum habere imperium, adeoque præviæ istius dispositionis principium esse, quæ fœdus gratiæ, omnēque eius notitiam in homine antecedit. Itaque cum neque quisquam possit vel sanctitatem, vel gloriam sine fide consequi, neque vero fidem ullus ex istius sententia habere possit, cuius animus non prius fuerit vi liberi arbitrii subactus, ac dejectus; profecto relinquitur salutem nostram omnem a libero arbitrio pendere. Glorietur se neminem a fidei gratia absoluto decreto excludere. Quid ergo est, quod confitetur Deum quos emollire poterat, non emollire tamen? Quando id non facit Deus, certe decrevit se non facturum. Si respondeat Deum quidem hunc, qui induratur, decrevisse non emollire; sed propter non præstitam eam conditio-

Ibid p 52. 53.
90.

8; insp.

nem, quam ab omnibus iis exigit, quos emollit; eodem revolvimur. Quæro enim an non potuerit Deus sic omnia providentia sua administrare, ut homo conditionem fuerit præstiturus? Fatetur Conciliator; & dispositionem vocatio- nis præviam, quamquam a libero arbitrio elici vult, ait tamen a providentia Dei pendere, mirabiliter omnia guber- nantis ac temperantis. Itaque vel hoc faltem absolute decreverit Deus, se hunc qui induratur minime ad eam conditio- nem adacturum, qua præstita foret emol- liendus. Ex quo decreto cum hominis induratio necessario consequatur, non video, quo iure gloriatur neminem se a fide absoluto decreto excludere. *Supra,* quibusdam e nostris obiecerat, Deum ex ipsorum hypothese reprobis illudere, quibus salutem promittit, sed ex ea conditione suspensam, quam implere non possint. Atqui hoc totum in eius ca- put recidit. Nam & maximam eorum par- tem, quibus offertur salus, fatetur tã esse a fide, quæ ab ipsis exigitur alienam, ut sit *invicta atque insuperabilis eorum ma- litia, resistentiaque inexpugnabilis.* Denique

Ibid. p. 180.

Ibid. p. 82.

ut paucis absolvam, nullum est in utraque parte incommodum, quod istum non premat, & merito quidem; cū duas hypotheses natura sua diversissimas, è quibus omnis hujus causæ difficultas nascitur, unus ambas completi, voluerit, quarum cæteri omnes alteram eligere solent. Nam & quod nos ponimus tantam esse vim illius gratiæ, que electis datur, ut hominum animos certo, ac necessario ad fidem flectat, & quod alii constituunt, nullam electis gratiam dari, quæ non sit omnium hominum, eorumque adeo qui non credunt, communis, utrumque Conciliator sibi retinendum putavit, eoque se vnum omnibus iis difficultatibus involvit, quibus alterutra pars urgeri solet. Ita nova quadam & inaudita solertia utriusque partis incommoda dum vitat, incurrit. Ego vero non video, quid isto ejus consilio dici queat absurdius, qui res duas, evidenter insociabiles, convenire, unaque consistere posse purat. Sed hæc quidem de tertio Conciliatoris errore satis.

Sequitur quartus, prioris geminus,

Ibid. p. 51 52

Cap. XIII.

IV. Error Conciliator, electione

esse ex prævisa
hominis disposi-
tione.
Ibid. p. 104.
105.

quod electionem Dei niti putat ea con-
ditionis disparitate, de qua nuper dixi-
mus. Nimirum quos Deus prævidet
humili dejectoque animo futuros, eos
solos elegit ad fidem, indeque ad glo-
riam. Vult ergo Conciliator electionē
ad fidem esse ex prævisione alicujus rei
in homine, qui eligendus est, inhaerentis;
quod quā sit Paulinæ de prædestinatione
sententię contrarium, satis patet ex su-
perioribus. Quam vero ab Augustini,
& nostrorum omnium, & plerorūque
etiam Ecclesiæ Romanæ procerum, pla-
citis alienum; sciunt qui sunt in vete-
rum & recentiorum libris versati.

Cap. XIV.
V. Peccatum
Concil. quod
ponit fuisse qui
sine verbo Dei
conversi fue-
runt.
Ibid p. 6

Venio ad reliqua. Ac inter plu-
rima, quæ toto passim opere temere,
nullaque ratione effudit, illud notandū
puto, quod ponit inter gentes olim
exstitisse, quos sola naturæ ac providen-
tiæ documenta ad veram & salutarem
Dei cognitionem evexerint. Quamquā
enim clarum est, Deum (quod apud nos
in confesso esse supra diximus) tum
potentiæ & sapientiæ, tum benignitatis
& clementiæ suæ tam illustria dedisse
Gentibus testimonia, ut nisi obstitisset
invicta

invicta animi improbitas, ipsæ quoque
 hujus lucis ductu ad aliquam Dei co-
 gnitionem & reverentiam progredi po-
 tuerint; tamen non perinde constat an
 Gentilium aliquis eo umquam assurre-
 xerit. Scio ita visum esse viris aliquot
 & veteris & recentis memoriæ non cõ-
 temnendis. Sed (quod eorum pace
 dictum sit) suam hanc illi sententiam
 magis jubent quam probant, ut non
 tam mihi significasse videantur, quid
 de istis credendum sit, quam quid optã-
 dum foret. Nobis certe tum Scriptura-
 rum auctoritas, tum ipsa rerum expe-
 riëntia non obscure docere videntur ejus
 notitiæ, quæ salutaris eadem sit ne mi-
 nimum quidem gradum ullum umquã
 mortalium aliunde, quam ex Dei verbo
 hausisse, omnesque Gentiles illa luce
 turpissime esse abusos, quæ ex naturæ
 providentiæque ordine cœlitus iis afful-
 gebat. Neque ista sententia eo refelli-
 tur, quod inter Gentes fuisse quidam
 dicuntur, qui Deum colerent. Nemo
 negat ipsis V. T. temporibus nonnullos
 è Gentibus ad Deum conversos fuisse,
 velut primitias futuræ olim sub Christo

Ps. 147. versa
 ult. Rom. 1. 20.
 21. 22. &c.
 1. Cor. 1. 21.

messis. Tantum quaeritur cujusnam lucis vi ac beneficio isti conversi fuerint, naturæne (quod nulla ratione a Conciliatore affirmatum est) an, quod nos verius putamus, verbi a Iudais si forte, aut profelytis accepti. Nam σεβασμῶν istos non alibi olim facile reperias, quam in Iudææ finitimis; quod magno argumento esse potest ex illius gentis commercio manasse illam divinæ veritatis, quam isti hauserant, lucem.

Cap. XV.
VI. Concilia-
toris erratum
justitia origi-
nali Adamum
spoliantis.
2. part. p. 42.
45.

Illud vero nihilo levius est, quod no-
ster Cēsor negat, Adamum iustitia ulla
ab ortu fuisse præditum, eosque qui id
affirmant, hoc est omnes utriusque
partis Theologos, suggilat atque deri-
det. Vult enim primorum parentum
eam fuisse ante lapsum conditionem,
ut fœderis naturalis luce ac ductu viam
sanctitatis ingredi, atque iustitiam sibi
parare potuerint; cæterum nondum
ullam eos iustitiam aut sanctitatem ha-
buisse; neque bonos neque malos fuisse,
utriusque habitus iuxta & expertes, &
capaces. Mirum profecto hominum ge-
nus, qui mente animoque & ratione va-

lerent, iidem tamen neque boni neque
 mali essent. Hos iste nobis ex Socini
 Senensis, hæreticorum omnium facile
 principis, officina depromit; quem cum
 videri velit odisse & execrari, expilat
 tamen. Atque utinam hoc unum dog-
 ma ex istius lacunis hauserit! Nolum
 equidem secius quicquam de Concilia-
 tore suspicari. Sed nimis vereor ne
 eius de nostra apud Deum iustificatio-
 ne, deque Christi satisfactione fidem
 pestilens impuri hominis halitus vi-
 tiaverit. Nam & quæ de justificatio-
 ne supra, quamquam obscure mus-
 sabat, scholam istam sapiunt; & Chri-
 sti mortem non alio fere solet refer-
 re, quam ad fidelium exemplum, &
 sextum Ionnis caput, totumque Eucha-
 ristiaæ mysteriũ de illa nostri, quod per-
 tinet ad passionem; cũ Christo conformi-
 tate itidẽ pene, ut Socinus, accipit; ac si
 crucis Dominicae nõ alius usus foret; Sa-
 tisfactionis vero quæ nobis Christi mor-
 te parata est, tenuis apud istum mentio.
 Sed cũ non deceat in crimine (quale is-
 tud est) gravissimo conjecturis tantũ &
 verisimilibus niti, hæc Deo sane cordium

Socin. Praelect.
Theol. 6. 30

Part. II. Cap. 16.
179

Cap. XVI.
VII. Erratum
Conciliatoris,
pœnas peccati
in primũ fœdus
admissis, tempo-
rales tantum esse
statuentis.

M ij



2. part. p. 43.
99. 237. 256.
Vide etiam
95. 96. 227.

IVX
Conciliatoris
peccati
in primis
tempore
diffinitio
habetur

scrutatori iudicanda relinquamus. Illud quidem affirmare non dubitamus Christi satisfactionem vehementer labefactari eo Conciliatoris dogmate, quod hic ultimo loco annotare visum est. Nam in posteriori operis parte eius peccati poenam, quo violatur naturæ foedus, æternam esse identidem negat; temporalem esse affirmat; eamque definit *corporis huius interitu*. Quod si verum est, nemo non videt Christum homines crucis suæ merito non ab æterna, sed a temporali morte redemisse; imo ne omnino quidem redemisse. Nam cum Christi crux nequaquam prohibeat, quo minus temporali morte defungamur, si nulla alia quam istæ fuit peccati in primum foedus admissi poena, profecto relinquitur ut nulla nos morte Christi sanguis liberaverit: quo nescio an quicquam dici possit aut in ipsam Dominum contumeliosius, aut a Scripturarum auctoritate constantique Ecclesiæ fide magis alienum. Non libet huius dogmatis interiora penitus scrutari, quæ huiusmodi sunt, ut cum iis consistere nequeat animi humani immortalitas. Cum enim

iste ponat omnem peccati in naturale
 fœdus admissi pœnam sola carnis morte
 constare, necessario confiteri debet, ho-
 minum animos penitus fuisse interitu-
 ros, siquidem libuisset Deo pœnas vio-
 lati primi fœderis a nobis reposcere.
 Nam post carnis fata hominum animi,
 neque beati ob admissum scelus ex no-
 stra omnium fide esse potuissent, neque
 miseris ex istius dogmate. Cœlo exclude-
 bat peccatum; inferno, fixa ab isto Na-
 turæ lex, ne Dei vindicta in quemquam
 ultra mortē sæviret. Quid ergo superest,
 nisi ut ne futuros quidem fuisse pronun-
 ciat, quibus per ipsum neque beatis, ne-
 que miseris esse licuisset? Quod cum ex
 istis dogmatis sequi videret Socinus,
 homo pessimæ quidem fidei, sed acutissi-
 mi tamen ingenii, nefaria & impia auda-
 cia animorum immortalitatem sustulit.

Cap. XVII.

Hæc sunt præclara sane & admiran-
 da Conciliatoris mysteria. Nam plura
 piget referre. Et ex his satis ni fallor
 intelligitur, quid iste, quamquam for-
 tasse imprudens, agat. Nempe ho-
 nesto conciliationis nomine novam ar-
 que peregrinam de religione sententiã,

*Totius operis
 conclusio; & Con-
 ciliatoris obte-
 ratio.*


ab utriusque partis fide iuxta abhorrentem inducit, monstris ac prodigiis plenam. Neque frustra est quod tam sollicitè animi sui sensa recondit. Quamquam illud quidē nō male, quod turpe & informe dogma, solisque tenebris dignū, alit in umbris & caligine, spissisq; verborum involucris tegit; nondum nudare ausus, aut palam in luce ostendere. Ne illa quidem habet, quæ cæteri de hoc genere. Nam neque ulla rationum specie, neque ullis orationis pigmentis sua fucavit. Sola nos promissorum grandiloquentia obtundit. Ego vero quamquam satis scirem neminem fore, quem tam crassæ artes caperent, putavi tamen demonstrandum, quam vana sit omnis hominis confidentia. Eam enim reprimi vel ad nostram existimationem intererat, ne videlicet si taceremus, suspicarentur adversarii nos istius aut nugas admirari, aut probare errores. Vt cumque sit hanc a nobis opellam, si minus aliorum, ipsius certe Conciliatoris ratio deposcebat; ut is liquido possit intelligere, quæ sit *fratrum* (nam eo loco ac nu-

mero nos habet) de suis consiliis sententia; spemque illam omnem de nobis tandem aliquando abjiciat, quam adversariis ad fastidium ostentat, quasi nos quoque suæ temeritatis socios aut habeat, aut propediem habiturus sit.

Te igitur hic appello, Conciliator; teque per communem Dominum, per sacra communia, communesque spes futuri sæculi obtestor, ut quiescas; neve inutili iactatione teque & alios diutius fatiges. Cogita quantum sit, quod moliris, unius sæculi omneis de religione controversias dirimere, Christianum orbem refingere, novamque rerum faciem in Ecclesiam inducere. Qui tantum opus aggreditur, eum profecto multis, magnisque animi, & ingenii dotibus instructum esse decet; sapientia singulari, rerum omnium, maxime celestium, accuratissima cognitione, acerrimo iudicio, cogitandi ac eloquendi facultate propemodum divinâ; quæ omnia si quis te habere dixerit, non dubito quin tu ipse turpem & illiberalem adulationem repulsurus sis. Itaque meti-

re te tuo pede; neq; in iis ambula, quæ mira-
 bilia sunt super te. Crede mihi, nō te ad hoc
 Deus vocat, ut sis Christiani orbis arbi-
 ter. Quod si hoc à te impetrare, quam-
 quam fratres non possumus, ut quiescas;
 illud certe flagitamus, quod ne alienis
 quidem negaveris, ut definas de nostro
 consensu gloriari, teque & alios falsa
 opinione deludere, quasi tua illa myste-
 ria aliquando probaturi simus. Pacem
 quidem orbis Christiani optamus; sed
 tuam omnem eius componendæ ratio-
 nem repudiamus, atque averfamur.
 Nam quod tu non nescis, quorum sunt
 eadem vota, eorum nihil necesse est ean-
 dem quoque esse sententiam. Quod su-
 perest, Dominum supplex veneror; ut
 tibi bonam mentem, nobis tutam pa-
 cem largiatur, utque Ecclesiam, Christi
 sui morte quæsitam, sanctissimi Spiritus
 luce solari, ac regere, singularique, quod
 hactenus fecit, providentia tueri & con-
 servare velit.

A M E N



DF 5715

ULB Halle

3

003 138 232



5b.

VD 17

m.c.






IOANNIS
DALLÆI

ADVERSUS
MILLETERIANAM
DE CONCILIANDIS.
RELIGIONIBVS SEN-
tentiam, Disputatio.

*DIVISA IN PARTES
duas; quarum prior est de Primatu, de
Eucharistia, iustificatione, Sanctorum
invocatione, & precibus pro
mortuis. Altera de Naturá,
& Gratia, & aeterna
Predestinatione.*



M. DC. XXXVII.



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

